# ORATIONES SELECTÆ

EX

T. LIVIO PATAVINO

CUM ARGUMENTIS ET NOTIS

AD

USUM STUDIOSÆ

JUVENTUTIS.





VARSAVIÆ. MDCCLXXI.

Typis S. R. M. & Reip: in Collegio Regio
*Scholarum Piarum.*

# ORATIO

Titi Quintii Capitolini quartùm Consulis, ad populum Romanum.
*Ex lib: 3. cap: 67. Liv:*



## ARGUMENTUM.

*Discordiis Civium quæ jam non ultra reprimi poterant, fiebat, ut conciones etiam de qualibet re fieri impedirentur. Quod posteaquam Æquis Volscisque compertum fuit, conjunctis exercitibus, primum agros circa omnes vastabant, deinde cum Romanos id etiam negligere vidissent ad mœnia Urbis populabundi accessêre. Tum Q. Capitolinus, concione populi vocata, hac oratione periculi magnitudinem, reique indignitatem exposuit.*



Etsi mihi nullius noxæ conscius, Quirites, sum, tamen cum pudore summo in concionem vestram processi: hoc vos scire, hoc poste-

ris memoriæ traditum iri : (1.) Aequos & Volſcos vix Hernicis modò pares, *T.* Quintio quartùm conſule, ad mœnia urbis Romæ impunè armatos veniſſe ; hanc ego ignominiam (quamquam iamdiu ita vivitur, is ſtatus rerum eſt, ut nihil boni divinet animus) ſi huic potiſſimum imminere anno ſciſſem, vel exilio, vel morte, ſi alia fuga honoris non eſſet, vitaſſem. Ergo (2.) ſi viri arma illa habuiſſent, quæ in portis fuêre noſtris, capi Roma me conſule potuit ? ſatis honorum, ſatis ſuperque vitæ erat, mori conſulem tertiùm oportuit. Quem tandem ignaviſſimi hoſtium contempsêre ? nos conſu-

(1) *Populi fuêre, Italiæ priſcis Latinis, Sabinis, Marſis, Hernicis, finitimi, novo poſtea Latio attributi.*

(2) *Significat non arma hoſtibus, ſed animum defuiſſe, qui ſi virili animo fuiſſent præditi, Urbem indefenſam capere potuiſſent.*



ſules ? an vos Quirites ? ſi culpa in nobis eſt auferte imperium indignis ; & ſi id parum eſt, inſuper pœnas expetite ; ſi in vobis : nemo deorum nec hominum ſit, qui veſtra puniat peccata Quirites, voſmet tantum eorum pæniteat. Non illi veſtram ignaviam contempsêre, nec ſuæ virtuti confiſi ſunt : quippe toties fuſi fugatique, caſtris, agro mulctati, ſubiugum miſſi, & ſe & vos novêre, diſcordia ordinum eſt venenum urbis huis ; patrum ac plebis certamina, dum nec nobis imperij, nec vobis libertatis eſt modus : dum tædet vos patritiorum, nos plebeiorum magiſtratuum : ſuſtulêre illi animos. Prô deûm fidem, quid vobis vultis ? (3.) tribunos plebis concupiſtis ; concordiæ cauſa conceſſimus (4.) decemviros



(3) *Tribuni Plebis, creari cæperunt Anno Urbis conditæ 260. poſt ſeceſſionem Plebis in Montem Sacrum ob creditorum ſævitiam.*

(4) *Magiſtratus erat apud Romanos An-*

viros desiderastis: creari passi sumus: decemvirorum vos pertæsum est, coegimus abire magistratu, manente in eosdem privatos ira vestra, (5.) mori atque exulare nobilissimos viros honoratissimosq; passi sumus, (6.) tribunos plebis creare iterum voluistis, creastis: consules facere vestrarum partium, etsi patribus videbamus iniquum (7.) patritium quoque magistratum plebi donum fieri vidimus, auxilium tribunitium, provocationem ad populum, (8.) scita plebis

*nuus, sine provocatione, legum condendarum causa constitutus.*

(5) *Appius enim Claudius, prinsquam in eum sententia ferretur, sibi ipsi mortem conscivit, Spu: Opimius, in carcerem conjectus, ibi finem vitæ fecit. Collegæ vero, exilii causa solum verterunt.*

(6) *Cum eorum numerus auctus est, ut qui initio quini, deni postea crearentur.*

(7) *Cum delatus est Valerio, & Horatio, Plebis studiosis, Consulatus.*

(8) *Lege Horatia, quâ Plebiscita, pro le-*



bis iniuncta patribus, sub titulo æquandarum legum nostra iura oppressa tulimus & ferimus. Qui finis erit discordiarum? ecquando unam urbem habere, ecquando communem hanc esse patriam licebit? Victi nos æquiore animo quiescimus, quàm victores, (9.) satisne est, nobis vos metuendos esse? (10.) Adversus nos Aventinum capitur, adversus nos Sa-

 cer

*gibus, etiam in Patritios valere jussa. Negabant enim Patritii, servandis Plebiscitis se esse obstrictos quæ à Tribunis ferrentur Tributis Comitiis, sed iis tantum legibus, quæ Patritio Magistratu rogante, universus populus constituisset. Constitutum itaque, referente Horatio Consule, ut in posterum Plebiscitorum quoque jure Patritii tenerentur.*

(9) *An non etiam nimium est, vos Plebeios, nobis Patritiis esse terrori.*

(10) *Secessionem Plebis intelligit secundam in Aventinum, atque deinde in montem Sacrum, ob Decemvirorum impotentiam.*

cer occupatur mons. (11.) Esquilias quidem ab hoste propè captas, (12.) & scandentem in aggerem Volscum hostem nemo submovit; in nos viri, in nos armati estis. Agite dum, vbi hìc curiam circumsederitis, & forum infestum feceritis, & carcerem impleveritis principibus, iisdem istis ferocibus animis egredimini extra portam Esquilinam, aut si ne hoc quidem audetis, ex muris visite agros vestros, ferro ignique vastatos, prædam abigi, fumare incensa passim tecta. At enim communis res per hæc, loco est peiore: ager uritur, urbs obsidetur, belli gloria penes hostes est. Quid tandem privatæ res vestræ quo in statu sunt? iam unicuiq; ex agris sua damna nuntiabuntur; quid est tandem do-

(11) *Esquiliæ vel Exquiliæ dicuntur pro monte Esquilino.*

(12) *Esquilinus enim collis, ab ea parte qua hostis venerat, alibatur per aggerem Tarquinii superbi.*



domi, vnde ea expleatis? tribuni vobis amissa reddent ac restituent? vocis verborumq; quantum voletis, ingerent, & criminum in principes, & legum aliarum super alias, & concionum; sed ex illis concionibus nunquam vestrùm quisquam re fortunaq; domum auctior rediit. Ecquis retulit aliquid ad coniugem & liberos, præter odia, offensiones, simultates publicas privatasq; à quibus semper non vestra virtute innocentiaq;, sed auxilio alieno tuti sitis. At Hercules, cùm stipendia nobis consulibus, non tribunis ducibus, & in castris non in foro faciebatis, & in acie vestrum clamorem hostes, non in concione patres Romani horrebant, præda parta, agro ex hoste capto, pleni fortunarum gloriæq; simul publicæ simul priuatæ triumphantes domum ad penates redibatis: nunc onoratum vestris fortunis hostem abire sinitis. Hærete affixi concionibus, & in

in foro vivite : ſequitur vos neceſſitas militandi quam fugitis. Grave erat in Æquos & Volſcos proficiſci ? ante portas eſt bellum : ſi inde non pellitur, iam intra mœnia erit, & arcem & Capitolium ſcandet, & in domos veſtras vos perſequetur. Biennio antè, ſenatus delectum haberi, & educi exercitum in (13.) Algidum iuſſit : ſedemus deſides domi, mulierum ritu inter nos altercantes, præſenti pace læti, nec cernentes ex otio illo brevi multiplex bellum rediturum. His ego gratiora dictu alia eſſe ſcio : ſed me vera pro gratis loqui, etſi meum ingenium non moneret, neceſſitas cogit: vellem equidem vobis placere Quirites, ſed multò malo vos ſalvos eſſe, qualicumq; erga me animo futuri eſtis. Natura hoc ita comparatum eſt, ut qui a-

pud

(13) *Algidum, oppidum in extremis Æquorum, Romam verſus finibus, in monte, & juxta nemus Ejusdem Nominis ſitum.*



pud multitudinem ſua cauſa loquitur, gratior eô ſit, cuius mens nihil præter publicum commodum videt, niſi forte aſſentatores publicos, plebicolas iſtos, qui vos nec in armis, nec in otio eſſe ſinunt, veſtra vos cauſa incitare & ſtimulare putatis : (14.) concitati, aut honori aut quæſtui illis eſtis : & quia in concordia ordinum nullos ſe uſquam eſſe vident, malæ rei ſe, quam nullius, turbarum ac ſeditionum duces eſſe volunt. Quarum rerum ſi vos tædium tandem capere poteſt : & patrum veſtroſq; antiquos mores vultis pro his novis ſumere, nulla ſupplicia recuſo, niſi paucis diebus hos populatores agrorum noſtrorum fuſos fu-

A 5 gatos-

(14) *Cum vos adverſus Senatum concitarunt Tribuni, honorem ex eo aut lucrum capiunt, aut captant ; & quia vident ſe nullo in pretio habendos, ſi concordia inter ordines, ſervetur, malunt in re mala quam in nulla duces fieri.*

gatosq; castris exuero, & à portis nostris mœnibusq; ad illorum urbes hunc belli terrorem, quo nunc vos attoniti estis, transtulero.

# ORATIO

Appii Claudii ad populum contra Tribunos Plebis, pro bello continuando ex *lib:* 5. *Cap:* 3. *Liv:*

## ARGUMENTUM.

*Hybernacula Militibus, tum primò ad continuandum etiam hyeme bellum fieri cæpta erant, cum Jmperatores Romani se obsidendo quàm oppugnando, sperarent Reipublicæ melius consulturos. Perlata ea res Romam Tribunos Plebis permoverat, qui primo quoque tempore Plebi quid ea re efficeretur exponunt: ita Plebis libertatem vendi jactando. Jlludque constitutum, ut cum ii in quibus vires omnes Plebis erant, defuissent, agi de commodis ipsius non posset. His aliisque jam Plebis animos Tribuni sollicitàrant, cum Appius Claudius Tribunus Militum, Plebe convocata, pro bello continuando continendisque militibus in hybernaculis, contra Tribunos Plebis hanc concionem habuit.*



SI unquam dubitatum est, Quirites, utrum tribuni plebis vestra, an sua causa seditionum semper auctores fuerint, id ego hoc anno desisse dubitari, certum habeo, & cùm lætor tandem longi erroris vobis finem factum esse, tum quod (1.) secundis potissimum vestris rebus hic error est sublatus, & vobis, & propter vos Reipubl: gratulor. An est quisquam qui dubitet, nullis iniuriis vestris, si quæ forte aliquando fuerunt, unquam æquè quàm munere patrum in plebem, cùm (2.) æra mili-



(1) *Cum feliciter res succederent, adversus Æquos & Volscos.*

(2) *Stipendia, quæ tum primùm de publi-*

militantibus constituta sunt, tribunos plebis offensos ac concitatos esse? quid illos aliud aut tum timuisse creditis, aut hodie turbare velle, nisi concordiam ordinum? quam dissolvendæ maximè tribunitiæ potestatis rentur esse. Sic Hercule, tamquam artifices improbi, opus quærunt: qui & semper ægri aliquid esse in Republica volunt, ut sit ad cujus curationem à vobis adhibeantur. Utrum enim defenditis, an impugnatis plebem? utrum militantium adversarij estis? an causam agitis? nisi forte hoc dicitis: Quicquid patres faciunt, displicet: sive illud pro plebe, sive contra plebem est. Et quemadmodum servis suis vetant domini quidquam rei cùm alienis hominibus esse, pariterq; in ijs beneficio ac maleficio abstineri; æquum censent: sic vos interdicitis patribus commercio ple-
bis,

*eo pendi cœperunt, post captum Anxur in Volscis.*



bis, ne nos comitate ac munificentia nostra provocemus plebem, nec plebs nobis dicto audiens atq; obediens sit. Quantò tandem, si quidquam in vobis non dico civilis, sed humani esset, favere vos magis, & quantum in vobis esset, indulgere potius comitati patrum atq; obsequio plebis oportuit? quæ si perpetua concordia sit quis non spondere ausit, maximum hoc imperium inter finitimos brevi futurum esse? Atque ego quàm hoc consilium collegarum meorum quo abducere infecta re à (3.) Veiis exercitum noluerunt, non utile solum, sed etiam necessarium fuerit, postea differam, nunc de ipsa conditione militantium dicere libet, quàm orationem non apud vos solùm, sed etiam in castris si habeatur ipso exercitu disceptante æquam arbitror
vide-

*(3) Civitas Vegentium, Populi Etruriæ trans Tiberim ad septemtrionem centum ab urbe stadiis distans.*

videri poſſe, in qua ſi mihi ipſi nihil quod dicerem, in mentem venire poſſet, adverſariorum certè orationibus, contentus eſſem. Negabant nuper danda eſſe æra militibus, quia nunquam data eſſent, quonam modò igitur nunc indignari poſſunt, quibus aliquid novi adjectum commodi ſit, eis laborem etiam novum pro portione injungi? nuſquam nec opera ſine emolumento, nec emolumentum fermè ſine impenſa opera eſt, labor voluptaſq; diſſimillima natura, ſocietate quadam inter ſe naturali ſunt juncta. Moleſte antea ferebat miles, ſe ſuo ſumptu operam Reipublicæ præbere: gaudebat idem partem anni ſe agrum ſuum colere, quærere unde domi militiæque ſe ac ſuos tueri poſſet, gaudet nunc fructui ſibi Rempublicam eſſe, & lætus ſtipendium accipit, æquo igitur animo patiatur ſe ab domo, ab re familiari, cui gravis impenſa non eſt, paulò diutius abeſſe, an ſi ad calculos eum Reſpub. vocet,





non meritò dicat, annua æra habes, annuam operam ede? an tu æquum cenſes militia ſemeſtri ſolidum te ſtipendium accipere? Invitus in hac parte orationis Quirites moror: ſic enim agere debent qui mercenario milite utuntur, at nos tanquam cùm civibus agere volumus: agiq; tanquam cùm patria nobiſcum, æquum cenſemus. Aut non ſuſcipi bellum oportuit: aut geri pro dignitate populi Romani, & perfici quam primum oportet, perficietur autem, ſi, urgemus obſeſſos: ſi non antè abſcedimus, quàm ſpei noſtræ finem captis Veiis impoſuerimus. Si hercule nulla alia cauſa, ipſa indignitas perſeverantiam imponere debuit. Decem quondam annos urbs oppugnata eſt ob unám mulierem ab univerſa Græcia, quam procul ab domo? quot terras, quot maria diſtans? nos intra viceſimum lapidem, in conſpectu propè urbis noſtræ annuam oppugnationem perferre piget: ſcilicet

quia levis caufa belli eft : nec fatis quidquam jufti doloris eft, quod nos ad perfeverandum ftimulet. Septies rebellarunt, in pace nunquam fidi fuerunt, agros noftros millies depopulati funt : (4.) Fidenates deficere à nobis coegerunt : colonos noftros ibi interfecerunt : auctores fuêre contra jus gentium cædis impiæ (5.) legatorum noftrorum : Etruriam omnem adverfus nos concitare voluerunt, hodieq; id moliuntur : res repetentes legatos noftros haud procul abfuit quin violarent. Cùm his molliter & per dila-

(4) *Fidenates populi Etruriæ, quorum Urbs Fidenæ, ultra Anienem fluvium, quo erat Colonia Romanorum à temporibus Romuli deducta, fed ea Urbs tandem ad Laertem Tolumnium, Vejentium Regem defecit.*

(5) *(Fulanii, Clelii Tullii, Sp: Ancii L: Rofcii, Legatorum, qui Roma miffi funt fcifcitatum caufam defectionis Fidenarum ad Vejentes, juffuque Laertis Tolumnii Vejentium Regis interfecti.*



dilationes bellum geri oportet ? Si nos tam juftum, odium nihil movet, ne illa quidem oro vos movent ? operibus ingentibus fepta urbs eft, quibus intra muros coercetur hoftis, agrum non coluit, & culta evaftata funt bello. Si reducimus exercitum, quis eft qui dubitet illos non cupiditate folùm ulcifcendi, fed etiam neceffitate impofita ex alieno prædandi, cùm fua amiferint, agrum noftrum invafuros ? non differimus igitur bellum ifto confilio, fed intra fines noftros accipimus. Quid ? illud quod propriè ad milites pertinet, quibus boni tribuni plebis cùm ftipendium extorquere voluerint, nunc confultum repentè volunt, quale eft ? vallum foffamque, ingentis utramq; rem operis, per tantum fpatij duxerunt : (6.) caftella primò pauca, poftea exercitu-

(6) *Caftella uti hìc accipiuntur: funt munimenta, quæ ad caftra adverfùs hoftiles incurfus tuenda inftituuntur.*

citu aucto creberrima fecerunt: munitiones non in urbem modo, ſed in Etruriam etiam ſpectantes, ſiqua inde auxilia veniant, oppoſuêre, quid (7.) turres? quid (8.) vineas (9.) teſtu-

(7) *Ligneæ turres erant, quæ rotis quatuor aut pluribus, agebantur. Hæ, ut propugnaculis hoſtium altiores eſſent, decem aut pluribus tabulatis conſtabant, atque in his tormenta, ſcalæ, pontes, aliaque invadendarum Urbium inſtrumenta admovebantur muris, & ex hujusmodi machinis oppugnatores primum miſſilibus deturbabant obſeſſos, ac deinde æquo cum illis pede congrediebantur.*

(8) *Vineæ machinæ erant è lignis levioribus, altæ pedibus octo, latæ ſeptem, longæ ſexdecem, tecto tabulatis cratibusque contextô, lateribus vimine ſeptis, & extrinſecus recenti corio opertis*

(9) *Non de ea teſtudine accipiendus eſt hìc Appius quæ milites armati, ſcutis ſupra capita denſatis, aliisque ſuper alios ſcandentibus æquabantur propugnatoribus, ſed de teſtudinibus ligneis, quæ fodiendi, aut*



teſtudineſque, & alium oppugnandarum urbium apparatum loquar? cùm tantum laboris exhauſtum ſit, & ad finem iam operis tandem perventum: relinquendane hæc cenſetis, ut ad æſtatem rurſus novus de integro his inſtituendis exſudetur labor? quanto eſt minus opera tueri facta? & inſtare, & perſeverare, defungiq; cura? brevis enim profecto res eſt, ſi uno tenore peragitur, nec ipſi per intermiſſiones has intervallaq; lentiorem ſpem noſtram facimus; loquor de opere, & de temporis iactura: quid? periculi, quod differendo bello adimus, num obliviſci nos hæc tam

*aut foſſas congerendi æquandorumque locorum, aut etiam ſuſpendendi ac promovendi ad murum arietis cauſa comparatæ, rotis ſubditis agebantur, at tecto & fronte minus planis, ut miſſa è muro tela, non rectà ſed obliquè incidentia laberentur, & ſic milites, qui ſub his machinis erant, tuti à periculo eſſent,*

tam crebra Etruriæ concilia de mittendis Vejos auxiliis patiuntur ? ut nunc res ſe habet , irati ſunt , oderunt , negant miſſuros : quantum in illis eſt , capere Vejos licet : quis eſt , qui ſpondeat , eundem , ſi differtur bellum , animum poſtea fore ? cum , ſi laxamentum dederis , maiòr frequentiorq; legatio itura ſit : cùm , id quod nunc offendit Etruſcos , rex creatus Veiis ſpatio mutari interpoſito poſſit , vel conſenſu civitatis , ut eo reconcilient Etruriæ animos , vel ipſius voluntate regis , qui obſtare regnum ſuum ſaluti civium nolit. Videte quot res quàm inutiles ſequantur illam viam conſilij : iactura operum tanto labore factorum : vaſtatio imminens finium noſtrorum : Etruſcum bellum pro Veiente concitatum. Hæc ſunt tribuni conſilia veſtra , non hercule diſſimilia , ac ſi quis ægro qui curari ſe fortiter paſſus , extemplò convaleſcere poſſit , cibi





cibi gratia præſentis aut potionis , longinquum & forſitan inſanabilem morbum efficiat. Si medius fidius ad hoc bellum nihil pertineret , ad diſciplinam certè militiæ plurimum intererat , inſueſcere militem noſtrum non ſolum parta victoria frui : ſed , ſi res etiam lentior ſit , pati tædium , & quamvis ſeræ ſpei exitum exſpectare : & , ſi non ſit æſtate perfectum bellum , hyemem operiri : nec , ſicut æſtivas aves , ſtatim autumno tecta ac receſſum circumſpicere. Obſecro vos , venandi ſtudium ac voluptas homines per nives ac pruinas in montes ſilvaſq; rapit : belli neceſſitatibus eam patientiam non adhibebimus , quam vel luſus ac voluptas elicere ſolet ? adeone effeminata corpora militum noſtrorum eſſe putamus , adeò molles animos , ut hyemem unam durare in caſtris , abeſſe ab domo non poſſint ? ut tanquam navale bellum tempeſtatibus captandis & ob-

obſervando tempore anni gerant ? non æſtus, non frigora pati poſſunt ? erubeſcant profectò, ſi quis eis hæc objiciat contendantq; & animis, & corporibus ſuis virilem patientiam eſſe, & ſe iuxta hyeme atque æſtate bella gerere poſſe: nec ſe patrocinium mollitiæ inertiæq; mandaſſe tribunis: & meminiſſe (10.) hanc ipſam poteſtatem non in umbra, nec in tectis maiores ſuos creaſſe. Hæc virtute militum veſtrorum, hæc Romano nomine ſunt digna: non Vejos tantum, nec hoc bellum intueri, quod inſtat: ſed famam & ad alia bella, & ad ceteros populos in poſterum quærere. An mediocre diſcrimen opinionis ſecuturum ex hac re putatis ? utrum tandem finitimi populum Romanum eum eſſe putent, cujus ſiqua urbs primum illum brevis-

(10) *Poteſtas Tribunitia, non in Urbe ſed caſtris in monte Sacro poſitis, & ab armatis impetrata & conſtituta.*



viſſimi temporis ſuſtinuerit impetum, nihil deinde timeat ? an hic ſit terror nominis noſtri, ut exercitum Romanum non tædium longinquæ oppugnationis, non vis hyemis ab urbe circumſeſſa ſemel amovere poſſit ? nec finem ullum alium belli quàm victoriam noverit ? nec impetu potius bella quàm perſeverantia gerat ? quæ in omni quidem genere militiæ, maximè tamen in obſidendis urbibus neceſſaria eſt: quarum plerasq; munitionibus, ac naturali ſitu inexpugnabiles, fame, ſitiq; tempus ipſum vincit atq; expugnat, ſicut Vejos expugnabit: niſi auxilio hoſtibus tribuni plebis fuerint: & Romæ invenerint præſidia Vejentes quæ nequidquam in Hetruria quærunt. An eſt quidquam quod Vejentibus optatum æquè contingere poſſit, quàm ut ſeditionibus primùm urbs Romana, deinde velut ex contagione caſtra impleantur ? At hercule apud hoſtes tanta mode-

modeſtia eſt, ut non obſidionis tædio, non deniq; regni, quidquam apud vos novatum ſit: non negata auxilia ab Etruſcis irritaverunt animos, morietur enim extemplò, quicunq; erit ſeditionis auctor: nec cuiquam dicere ea licebit, quæ apud vos impunè dicuntur, (11.) fuſtuarium meretur, qui ſigna relinquit, aut præſidio decedit: auctores ſigna relinquendi, & deſerendi caſtra, non uni aut alteri militi, ſed univerſis exercitibus, palàm in concione audiuntur. Adeò quidquid tribunus plebis loquitur, etſi prodendæ patriæ, diſſolvendæq; Reipublicæ eſt, aſſueſtis audire: & dulcedine poteſtatis ejus capti, quælibet ſub ea ſcelera latere ſinitis. Reliquum eſt, ut quæ hìc vociferantur, eadem in caſtris & apud milites agant, & exercitus corrumpant, ducibuſque parere non patiantur: quoniam ea demum Romæ libertas eſt, non ſenatus, non magiſtratus, non leges, non mores maiorum, non inſtituta patrum, non diſciplinam vereri militiæ.

(11) *Fuſtuarium eſt cum quis fuſtibus ad necem cæditur.*



# ORATIO

Furii Camilli ad populum, de non transmigrando Vejos ex *lib:* 5. *cap:* 51. *Liv:*

## ARGUMENTUM.

*Galli capta Româ, domos omnes, templaque Deorum præter pauca, & Capitolium diruerant, ſoloque æquaverant. Quæ fuit cauſa ut Tribuni Plebis fugatis cæſisquæ Gallîs, Camillo Duce, cum Romam Patres Plebsque rediſſent, ad Plebem de transmigratione Vejos referrent. Quod ubi Camillus intellexit, convocatô populô, hâc concione non eſſe tranſmigrandum Vejos, ſuadebat.*

ADeò mihi acerbæ ſunt, Quirites, contentiones cum tribunis plebis,

bis, ut nec tristissimi exilij solatium aliud habuerim, quo ad (1.) Ardeæ vixi, quàm quòd procul ab his certaminibus eram : & ob eadem hæc, non, nisi me senatusconsulto populiq; iussu revocaretis, rediturus unquam fuerim : nec nunc me, ut redirem, mea voluntas mutata, sed vestra fortuna perpulit, quippe ut in sua sede maneret patria, id agebatur : non ut ego utiq; in patria essem, & nunc quiescerem & tacerem libenter, nisi hæc quoq; pro patria dimicatio esset : cui deesse quoad vita suppetat, aliis turpe, Camillo etiam nefas est. Quid enim repetiimus ? quid obsessam ex hostium manibus eripuimus, si recuperatam ipsi deserimus ? & cum victoribus Gallis capta tota vrbe, Capitolium tamen atq; arcem dijq; & homines Romani tenuerint, victoribus

(1) *Ardea Urbs Latii, inter Ostiam & Antium, quò Camillus in exilium concesserat.*



bus Romanis recuperata urbe, arx quoq; & Capitolium deseretur ? & plus vastitatis huic urbi secunda nostra fortuna faciet, quàm adversa fecerit ? Equidem si nobis cum urbe simul positæ traditæq; per manus religiones nullæ essent : tamen tam evidens numen hac tempestate rebus affuit Romanis, ut omnem negligentiam divini cultus exemptam hominibus putem. Jntuemini enim horum deinceps annorum vel secundas res, vel adversas : invenietis omnia prosperè evenisse, sequentibus deos, adversa spernentibus. Iam omninm primùm Vejens bellum, per quot annos, quanto labore gestum ? non antè cepit finem, quàm monitu deorum aqua ex lacu (2.) Albano emissa est. Quid

 hæc

(2) *Hodie locus Castelli Gandulfi. Erat autem in libris fatalibus, seu sybillinis, apud Etruscos*, quando aqua Albana abundasset, tùm si eam Romanus ritè emisisset, victoriam de Vejentibus dari, antequam id fiat Deos mœnia deserturos

hæc tandem urbis nostræ clades nova ? num antè exorta est , quàm spreta vox ( 3. ) cælo emissa de adventu Gallorum ? quàm ( 4. ) gentium

non esse , *quod cum rescivissent Romani à quodam Etrusco aruspice , misère Oratores Delphos , qui sortem oraculi congruentem responso vatis Etrusci retulerunt , sicque aqua è lacû emissa est.*

(3) *Cum Galli in Jtaliam venturi erant M. Cæditius de Plebe , nuntiavit Tribunis , se in nova via ( quæ juncta erat foro Romano ) noctis silentio audivisse , vocem clariorem humanâ quæ magistratibus dici juberet ; Gallos adventare.*

(4) *Gallis Clusium obsidentibus , Legati à Senatu ad eosdem missi , sciscitantes quid in Etruria rei illis esset , qui cum ferociter reposuissent sibi in armis jus esse , Legati arma capiunt , quin etiam Q. Fabius , evectus extra aciem equô Ducem Gallorum hasta occidit. Quam ob rem miserunt suos Legatos Galli Romam de injuria quæsitum , sed non modo nihil de pœna eorum statutum , qui jus gentium violarunt , sed etiam in insequentem Annum Tribuni Militum creati erant , adrem cum iisdem Gallis gerendam.*



um ius ab legatis nostris violatum ? quàm à nobis , cùm vindicari deberet , eadem negligentia deorum prætermissum ? Igitur ( 5. ) victi captiq; ac redempti, tantum pœnarum diis hominibusq; dedimus , ut terrarum orbi documento essemus. Adversæ deinde res admonuerunt religionum. Confugimus in Capitolium ad deos , adsedem Iovis optimi maximi , sacra in ruina rerum nostrarum alia terræ celavimus , alia avecta in finitimas urbes amovimus ab hostium oculis : Deorum cultum deserti ab diis hominibusq; , tamen non intermisimus.

 Red-

(5) *Post fusos Romanos ad Alliam fluvium , Roma erat capta à Brenno Gallorum Duce. Redempti verò non aurô quod pacti erant ( nam illud persolutum non est Dictatore Camillo interveniente auferrique de medio aurum jubente ) sed armis.*

Reddidere igitur patriam, & victoriam, & antiquum belli decus amissum: & in hostes qui cæci avaritia in pondere auri fœdus ac fidem fefellerunt, verterunt terrorem, fugamque, & cædem. Hæc culti neglectiq; numinis tanta monimenta in rebus humanis cernentes, ecquid sentitis Quirites, quantum vixdum ex naufragiis prioris culpæ cladisq; emergentes paremus nefas? Urbem auspicatò inauguratòq; conditam habemus: nullus locus in ea non religionum deorumq; est plenus: sacrificiis solennibus non dies magis stati quàm loca sunt, in quibus fiant, hos omnes deos publicos privatosq; Quirites deserturi estis? Quàm par vestrum factum est, quod in obsidione nuper in egregio adolescente C. Fabio non minore hostium admiratione quàm vestra conspectum est? cùm inter Gallica tela digressus ex arce solenne (6.) Fa-

(6) *Sacrificium erat statum in Quirinali colle*



Fabiæ gentis in colle Quirinali obiit. An (7.) gentilitia sacra ne in bello quidem intermitti, publica sacra & Romanos deos etiam in pace deseri placet? & pontifices flaminesq; negligentiores publicarum religionum esse, quàm privatus in solenni gentis fuerit? Forsitan aliquis dicat, aut Vejis ea nos facturos, aut huc inde missuros sacerdotes nostros, qui faciant: quorum neutrum fieri salvis cæremoniis potest: & ne omnia generatim sacra: omnesq; percenseam de-



*colle genti Fabiæ, ad id faciendum Fabius Dorso, cum de Capitolio sacra manibus gerens descendisset, per medias hostium stationes egressus in Quirinalem collem pervenit, ibique omnibus solenniter peractis nihil ad vocem cujusquam terroremque motus, eodem vultu graduque in Capitolium ad suos rediit.*

(7) *Familiæ propria sacra proprias ferias habebant, & dicebantur Gentilitia seu domestica.*

os, in Jovis (8. epulo, num alibi, quàm in Capitulio, pulvinar ſuſcipi poteſt? Quid de æternis Veſtæ ignibus, (9.) ſignoq;, quod imperij pignus cuſtodia ejus templi tenetur, loquar? quid de (10.) ancilibus veſtris? Mars Gradive, tuq; Quirine pater? hæc omnia in profano deſeri

(8) *Cum placandi Jovis cauſa convivium ei per trium Viros poſtea, per Septem viros Epulonum in Capitolio exhibebatur. Solebat ipſe in lectulum, Juno, & Minerva, (quæ intra idem templum colebantur) in ſellas, ad cœnam invitari, & ſacris ejusmodi epulis, adhibebantur pulvinaria.*

(9) *Palladium innuit, quod a Veſtalibus ſervari quidam credebant, ab Ænea in Italiam delatum, inde Alba aut Lavinio, tranſlatum Romam.*

(10) *Ancilia erant ſcuta ænea brevia, quæ Salii Marti gradivo Sacri, per Urbem canentes carmina, cum tripudiis ſolennique ſaltu ferebant; addit tuque Quirine quia Romulus Marte erat genitus.*



ri placet ſacra, (11.) æqualia urbi, quædam (12.) vetuſtiora origine urbis? Et videte quid inter nos ac maiores interſit: illi ſacra quædam in monte (13.) Albano Lavinioque nobis facienda tradiderunt. An ex hoſtium urbibus Romam ad nos tranſferri ſacra religioſum fuit, hinc ſine piaculo in hoſtium urbem Vejos tranſferemus: Recordamini agitedum, quoties ſacra inſtaurentur, quia aliquid ex patrio ritu negligentia caſuve prætermiſſum eſt. Modo quæ res



(11) *Æquè antiqua ac Urbs.*

(12) *Veſtæ Sacerdotes, & ſacra Albæ recepta ante Romam conditam, quin & ab ænea, ut quidam volebant, in Latium invecta.*

(13) *Quo feriarum Latinarum cauſa proficiſcebantur quotannis Romani Magiſtratus, ex quo primum audita eſt vox in ejusdem montis cacumine, ut Patrio ritu Sacra Albani facerent. Ab hoc ergo prodigio Romanis novemdiale Sacrum publicè ſuſceptum eſt.*

post prodigium Albani lacus, nisi instauratio sacrorum auspiciorumq; renovatio affectæ Vejenti bello Reipublicæ remedio fuit ? At etiam tamquam veterum religionum memores, & peregrinos deos transtulimus Romam, & instituimus novos. Iuno regina transvecta à Veiis nuper in Aventino quàm insigni ob excellens matronarum studium, celebriq; dedicata est die ? Ajo Locutio templum propter cælestem vocem exauditam in Nova via iussimus fieri : (14.) Capitolinos ludos solennibus aliis addidimus : (15.) collegiumq; ad id novum, auctore senatu, condidimus, Quid horum opus fuit suscipi, si una

(14) *In honorem Jovis instituti, post pulsos Gallos, quod suam sedem atque arcem populi Romani tutatus esset.*

(15) *Collegium novum Marcus Furius Dictator constituerat, ex iis qui in Capitolio atque arce habitarent, ludorum Capitolinorum curandorum, celebrandorumque causa.*



nà cùm Gallis urbem Romanam relicturi fuimus ? si non voluntate mansimus in Capitolio per tot menses obsidionis ? si ab hostibus metu retenti sumus ? De sacris loquimur, & de templis : quid tandem de Sacerdotibus ? nonne in mentem venit, quantum piaculi committatur ? Vestalibus nempe una illa sedes est, ex qua eas nihil unquam præterquam urbs capta movit, (16.) flamini diali noctem unam manere extra urbem nefas



(16) *Flamines erant singulares certorum Numinum Sacerdotes, quos Varro à Filo quo per æstum caput cingebant (nudo enim esse capite sub dio illis non licuit) Filamines, Plutarchus, à pileo Pileamines initio nuncupatos fuisse censet, postea corrupto nomine Flamines. Cognomen habebant singuli, ab eo numine cui Sacra faciebant. Dialis à Jove, Martialis à Marte, Quirinalis à Romulo. Hi adeo adstricti erant Sacris, ut eis ne unam quidem noctem manere extra Urbem fas esset, præsertim Flamini Diali.*

fas eſt. Hos Vejentes pro Romanis facturi eſtis Sacerdotes ? & Veſtales tuæ te deſerent Veſta ? & flamen peregrè habitando , in ſingulas noctes tantum ſibi reiq; publicæ piaculi contrahet ? Quid alia , quæ auſpicatò agimus omnia ferè intra pomœrium , cui oblivioni , aut cui negligentiæ damus ? (17.) Comitia curiata , quæ rem militarem continent : comitia centuriata , quibus conſules tribunoſque militares creatis : ubi auſpicatò , niſi ubi adſolent , fieri poſſent ? Vejoſne hæc transferemus ? an comitiorum cauſa populus tanto incommodo in deſertam hanc ab Diis hominibuſq; urbem conveniet ? Sed res ipſa cogit vaſtam incendiis ruiniſq; relin-

(17) *A Romulo inſtituta quibus Cives per Curias diſtincti ſuffragia ferebant. Centuriata per ſervium Tullum in vecta, ubi unusquisque , in ſua Centuria quid de qua re ſentiret voce , poſtea ſcripto , ſeu per tabellas ſignificabat.*



relinquere urbem , & ad integra omnia Vejos migrare , nec hic ædificando inopem plebem vexare. Hanc autem iactari magis cauſam , quàm veram eſſe , ut ego non dicam , apparere vobis Quirites puto , qui meminiſtis ante Gallorum adventum ſalvis tectis publicis privatiſq; ſtante incolumi urbe , hanc eandem rem actam eſſe , ut Vejos tranſmigraremus. Et videte quantum inter meam ſententiam veſtramq; interſit tribuni : vos etiamſi tunc faciendum non fuerit , nunc utique faciendum putatis : ego contrà ( nec id mirati ſitis priusquàm quale ſit audieritis ) etiamſi tunc migrandum fuiſſet incolumi tota urbe , nunc has ruinas relinquendas non cenſerem : quippe tum cauſa nobis in urbem captam migrandi victoria eſſet , glorioſa nobis ac poſteris noſtris : nunc hæc migratio nobis miſera ac turpis , Gallis glorioſa eſt. Non enim reliquiſſe victores , ſed amiſiſſe victi

viĉti patriam videbimur, hoc ad Alliam fuga, hoc capta urbs, hoc circumſeſſum Capitolium neceſſitatis impoſuiſſe, ut deſereremus penates noſtros, exiliumq; ac fugam nobis ex eo loco conſciſceremur, quem tueri non poſſemus? & Galli evertere potuerunt Romam, quam Romani reſtituere non videbuntur potuiſſe? Quid reſtat, niſi ut ſi jam novis copiis veniant, (conſtat enim vix credibilem multitudinem eſſe) & habitare in ca- capta ab ſe, deſerta à vobis hac urbe velint, ſinatis? Quid ſi non Galli hoc, ſed veteres hoſtes veſtri, Æqui Volſcive faciant, ut commigrent Romam? velitiſne illos Romanos, vos Vejentes eſſe? an malitis hanc ſolitudinem veſtram, quàm urbem hoſtium eſſe? non equidem video quid magis nefas ſit. Hæc ſcelera, quia piget ædificare, hæc dedecora pati parati eſtis? Si tota urbe nullum melius, ampliuſve tectum fieri

pos-



poſſit, quàm caſa illa conditoris eſt noſtri, non in caſis ritu paſtorum agreſtiumq; habitare eſt ſatius inter ſacra penateſq; veſtros, quàm exulatum publicè ire? Maiores noſtri convenæ, paſtoreſq; cùm in his locis nihil præter ſilvas paludeſq; eſſet, novam urbem tam brevi ædificaverunt: nos Capitolio, arce incolumi, ſtantibus templis deorum ædificare incenſam piget? & quod ſinguli facturi fuimus, ſi ædes noſtræ deflagraſſent, hoc in publico incendio univerſi recuſamus facere? Quid tandem, ſi fraude, ſi caſu Veiis incendium ortum ſit, ventoq; (ut fieri poteſt) diffuſa flamma magnam partem urbis abſumat; Fidenas inde aut Gabios, aliamve quam urbem quæſituri ſumus, quò tranſmigremus? adeò nihil tenet ſolum patriæ? nec hæc terra quam matrem appellamus? ſed in ſuperficie tigniſq; caritas nobis patriæ pendet? Equidem

fate-

fatebor vobis, & si minus injuriæ vestræ quàm meæ calamitatis meminisse juvat: cùm abessem, quotiescumq; patria in mentem veniret, hæc omnia occurrebant, colles, campiq; & Tiberis, & assueta oculis regio, & hoc cælum, sub quo natus educatusq; essem; quæ vos Quirites nunc moveant potius caritate sua, ut maneatis in sede vestra, quàm postea cùm reliqueritis ea, macerent disiderio. Non sine causa dij hominesq; hunc urbi condendæ locum elegerunt; saluberrimos colles, flumen opportunum, quo ex mediterraneis locis fruges devehantur, quo maritimi commeatus accipiantur: mare vicinum ad commoditates, nec expositum nimia propinquitate ad pericula classium externarum: regionum Italiæ medium, ad incrementum urbis natum unicè locum. Argumento est ipsa magnitudo tam novæ urbis, trecentesimus sexagesimus quintus annus urbis, Quirites, agitur: inter tot veterrimos populos tamdiu bella geritis, cùm interea ne singulas loquar urbes, non conjuncti cum Æquis Volsci, tot tam valida oppida, non universa Etruria tantum terra mariq; pollens, atque inter duo (18.) Maria latitudinem obtinens Italiæ, bello vobis par est. Quod cùm ita sit, quæ (malum) ratio est expertis alia experiri, cùm jam ut virtus vestra transire alio possit, fortuna certè loci hujus transferri hinc non possit? Hìc Capitolium est, ubi quondam capite humano invento responsum est, eo loco caput rerum summamq; imperij forè; hic cum (19.) auguratò liberaretur Capitolium, Iuventus Terminusque maxi-



(18) *Olim Etruria extendebatur inter mare Adriaticum & Tyrrenum, sed postea Etrusci ab Adriatici maris orà pulsi sunt à Gallis.*

(19) *Tarquinius Superbus ut libera esset à cæteris religionibus ara Jovis templique, quod*

maximo gaudio patrum noſtrorum moveri ſe non paſſi, hic Veſtæ ignes, hic Ancilia cælo demiſſa, hic omnes propitii manentibus vobis dii.

ORA-

*quod tunc in monte Tarpejo ædificabatur exaugurare fana ſacellaque ſtatuit, quæ aliquot ibi conſecreta inaugurataque erant; (fiebat autem exauguratio evocatis diis ex locis ariſque conſecratis, ut alio migrare vellent, ejusmodi verò evocationes fiebant auguratò, nimirùm ſi aves addicerent, ac volatu ſuo rem Diis placere oſtenderent) ergo cum rem Tarquinius perficeret, cæterarumque ædium ſacrarum & ſacellorum exaugurationes auſpiciis probarentur, aves non admiſerunt exaugurationem ſacellorum duorum, Termini, & Juventutis, quaſi hæc Numina cedere locis ſuis recuſarent.*



# ORATIO

Appii Claudii contra Tribunos Pl: legumlatores & leges ipſas ex *lib*: 6. *Cap*: 40. *Liv*:

## ARGUMENTUM.

*Plebs arrepta occaſione rerum novandarum ex magna vi æris alieni, cum eo levari aliter non poſſet niſi ſuis in imperio collocatis; Tribunos pl: duos C. Licinium & L. ſextium creat, qui ſibi viam præſtruerent ad cæteros honores. Ji creati tres leges promulgant, adverſas patritiis, gratas plebi: unam de ære alieno ut:* deducto eo de capite quod uſuris per numeratum eſſet, triennio, tribus æquis portionibus perſolveretur *Alteram de modo agrorum*, ne quis amplius, quam quingenta jugera agri poſſideret *tertiam* ne Tribunorum Militum Conſulari poteſtate comitia fierent, Conſulque alter ex plebe crearetur. *Conterriti Patres, tam ſæveris contra*

*tra se legibus, nullo remediô aliô, præter expertam intercessionem inventô, collegas adversus Tribunitias rogationes comparaverunt, qui ubi Tribus ad suffragium ineundum citari à Licinio Sextioque viderunt, nec recitari rogationes, nec solenne quidquam aliud ad sciscendum plebi fieri passi sunt. Ita sæpius earumdem legum promulgatio elusa, tum intercessione tum ablegatione juventutis ad bellum Veliternum. Novem jam annos iidem Tribuni in Tribunatu exegerant. Decimúm priùsquam reficerentur, ita se gerebant, ut negando sibi amplius velle continuari honorem, acerrimè accenderent ad id plebem, quod dissimulando petebant. Dicebant enim nonum se annum jam adversùs Optimates, nullo publicè emolumento stare. Jam nec Collegas, nec bellum obesse, se ipsam plebem & commoda morari sua. Proinde ipsi prius statuerent apud animos suos quid vellent, deinde comitiis Tribunitiis declararent voluntatem. Si con-*



*conjunctim ferri ab se promulgatas rogationes vellent, esse quod eosdem reficerent Tribunos pl:, perlaturos enim quæ promulgaverint, si vero non, opus esse nihil invidiosa continuatione honoris, nec se Tribunatum, nec illos quæ promulgata sunt habituros. Adersùs tam obstinatam orationem cum præ indignitate rerum stupor silentiùmque cæteros Patrum defixisset, Appius Claudius Nepos Decemviri in hanc fere sententiam locotus est.*

NEque novum, neq; inopinatum mihi fit, Quirites, si quod unum familiæ nostræ semper objectum est ab seditiosis tribunis, id nunc ego quoq; audiam: Claudiæ genti jam inde ab initiò nil antiquius in Rep. patrum majestate fuisse: semper plebis commodis adversatos esse. Quorum alterum neq; inficias eo: nos, ex quo asciti sumus simul in civitatem & (1.) patres, enixe opera

*(1) Statim enim atque è Sabinis migraverat*

operam dediſſe, ut per nos aucta potius, quàm imminuta majeſtas earum gentium, inter quas nos eſſe voluiſtis, dici verè poſſet; illud alterum pro me majoribuſq; meis contendere auſim Quirites (niſi quæ pro universa Rep, fiant, ea plebi tamquam aliam incolenti urbem adverſa quis putet) nihil nos neq; privatos, neq; in magiſtratibus, quod incommodum plebi eſſet, ſcientes feciſſe: nec ullum factum, dictumve noſtrum contra utilitatem veſtram, & ſi quædam contra voluntatem fuerint, verè referri poſſe. An hoc, ſi Claudiæ familiæ non ſim, nec ex Patritio ſanguine ortus, ſed unus Quiritium quilibet, qui modò me duobus ingenuis ortum, & vivere in libera civitate ſciam, reticere poſſim? L. illum Sextium & C. Licinium perpetuos (ſi diis placet) tribunos tantum licen-

*rat Attius Claudius Claudiorum parens, Civis & Patricius ac Senator factus fuerat.*



licentiæ novem annis, quibus regnant, ſumpſiſſe, ut vobis negent poteſtatem liberam ſuffragii non in comitiis, non in legibus jubendis ſe permiſſuros eſſe? ſub (2.) conditione, inquit, nos reficietis decimùm tribunos, quid eſt aliud dicere? quod (3.) petunt alii, nos adeò faſtidimus, ut ſine mercede magna non accipiamus; Sed quæ tandem iſta merces eſt, qua vos ſemper tribunos plebis habeamus? ut rogationes, inquit, noſtras, ſeu placent, ſeu diſplicent, ſeu utiles, ſeu inutiles ſunt, omnes conjunctim accipiatis. Obſecro vos, (4.) Tarquinij tribuni plebis, putate me ex media concione unum civem ſucclamare: bona venia veſtra liceat ex his rogatio-

(2) *Si nimirùm plebs, conjunctim ferri ab ſe promulgatas leges vellet.*

(3) *Tribunatum plebis, velut honorem ac præmiùm.*

(4) *Vos qui tyrannidem more Tarquinii ſuperbi exercetis in plebem.*

tionibus legere, quas ſalubres nobis cenſemus eſſe: antiquare alias. Non, inquit, licebit (5.) tu de fœnore atque agris, quod ad vos omnes pertinet, iubeas: & hoc portenti non fiat in urbe Romana, uti L. Sextium atque hunc C. Licinium conſules, quod indignaris, quod abominaris, videas! Aut omnia accipe: aut nihil fero. Ut ſi quis ei, quem urgeat fames, venenum ponat cum cibo, & aut abſtinere eo quód vitale ſit, jubeat, aut mortiferum vitali admiſceat. Ergo ſi eſſet libe-

(5) *Hæc quoque velut ſub perſona Licinii ad plebem verba facientis ab Appio dicuntur. Tu verò quisquis ex Civibus Romanis id probare velis, quod plebeiis omnibus utile fuerit, & audeas Sextium & Licinium non dicere Conſules, ut eos in hoc gradu conſpicias? Quód tamen (interſerit, veluti per parentheſim Appius) inſtar portenti eſſe Romæ quod tu ipſe Civis de plebe indigne fers, & omni execratione proſequeris.*



libera hæc civitas, non tibi frequentes ſucclamaſſent, Abi hinc cum tribunatibus ac rogationibus tuis quid ſi non tuleris, quod commodum eſt populo accipere, nemo erit qui ferat illud? Si quis patricius, ſi quis (quod illi volunt invidioſius eſſe) Claudius diceret, aut omnia accipite, aut nihil fero: quis veſtrûm Quirites ferret? numquámne vos res potius, quàm auctores ſpectabitis? ſed omnia ſemper, quæ magiſtratus ille dicet, ſecundis auribus, quæ ab noſtrûm quo dicentur, adverſis accipietis? At herculè ſermo eſt minimè civilis. Quid? Rogatio qualis eſt, quam à vobis antiquatam indignantur? ſermoni Quirites ſimillima, conſules, inquit, rogo, ne vobis, quos velitis, facere liceat. An aliter rogat, qui utiq; alterum ex plebe fieri conſulem iubet: nec duos patricios creandi poteſtatem vobis permittit? Si hodie bella ſint, quale He-

 tru-

truscum fuit, cùm (6.) Porsena Ianiculum insedit: quale (7.) Gallicum modò cùm præter Capitolium atque arcem omnia hæc hostium erant: & consulatum cum hoc M. Furio, aut quolibet alio ex patribus L. ille Sextius peteret: possetísne ferre Sextium haud pro dubio consulem esse, Camillum de repulsa dimicare? Hoccine est in commune honores vocare? ut duos plebeios fieri consules liceat, duos patricios non liceat? & alterum ex plebe creari necesse sit, utrumq; ex patribus præterire liceat? Quænam ista societas, quænam consortio est? parum est, (8.) si cujus pars tua nulla adhuc fuit, in partem ejus venis, nisi partem



(6) *Rex Clusinoram qui Tarquinios armis in Regnum restituere volebat.*

(7) *Vide supra fol: 29.*

(8) *Situ, Tribune pl: incipias particeps fieri ejus rei (Consulatûs nempe) cujus adhuc nulla pars ad te pertinet.*



tem petendo totum traxeris? Timeo, inquit, ne si duos licebit creari patricios, neminem creetis plebeium. Quid est dicere aliud? nisi quia indignos vestra voluntate creaturi non estis, necessitatem vobis creandi quos non vultis, imponam. Quid sequitur, nisi ut ne beneficium quidem debeat populo, si cum duobus patriciis unus petierit plebeius, & lege se, non suffragio creatum dicat? Quomodo extorqueant, non quomodo petant honores, quærunt: & ita maxima sunt adepturi, ut nihil (9.) ne pro minimis quidem debeant, & occasionibus potius quàm virtute petere



(9) *Dujatius legendum censet: & ita maxima sunt adepturi, ut nihil ne, ut prominimis quidem debeant: id est nihil pro maximis etiam honoribus (consulatu puta) debeant in posterum, nec quantùm quidem nunc pro minimis, Tribunatu scilicet pl: minore ac plebeio magistratu debent.*

tere honores malint. Est aliquis qui se inspici, qui æstimari fastidiat? qui certos sibi uni honores inter dimicantes competitores æquum censeat esse? qui se arbitrio vestro eximat? qui vestra necessaria suffragia pro voluntariis, & serva pro liberis faciat? Omitto Licinium Sextiumq; quorum annos in perpetua potestate tanquam (10.) regum tn Capitolio numeratis: quis est hodie in civitate tam humilis, cui non via ad consulatum facilior per istius legis occasionem, quàm nobis ac liberis nostris fiat? si quidem nos ne cum volueritis quidem creare interdum poteritis, istos etiam si nolueritis, necesse sit. De indignitate satis dictum est (etenim dignitas ad homines pertinet) quid de religionibus atque au-

spi-

(10) *Exemplo scilicet Regum, quorum potestas in fastis Capitolinis, toto Regni tempore per plurimos Annos continuata, describebatur.*



spiciis, quæ propria deorum immortalium contemptio atq; injuria est, loquar? auspiciis hanc urbem conditam esse, auspiciis bello ac pace, domi militiæq; omnia geri, quis est qui ignoret? Penes quos igitur sunt auspicia more majorum? nempe penes (11.) patres, nam (12.) ple-



be-

(11) *Lege Romuli solis Patriciis commissa fuit sacrorum cura.*

(12) *In Comitiis Tributis, quibus plebeji magistratus creabantur, observabatur quidem de cælo: sed non adhibebatur avium inspectio. Verum in iis comitiis quæ magistratuum creandorum causâ fiebant, de cælo servare magistratibus non licebat, ne sic comitia impedirent. Id Augurum erat. Non enim sine Auguribus Comitia cujusquam generis fiebant. Id saltem constat, priusquam communicatus esset cum plebe consulatus, ita patriciorum propria fuisse auspicia, ut & soli auspicarentur, & soli auspicatò magistratus crearentur, adeò ut quoties nul-

beius quidem magiſtratus nullus auſpicatò creatur : nobis adeò propria ſunt auſpicia , ut non ſolùm quos populus creat patricios magiſtratus , non aliter quàm auſpicatò creet , ſed nos quoq; ipſi ſine ſuffragio populi auſpicato Jnterregem prodamus , & privatim auſpicia habeamus , quæ iſti ne in magiſtratibus quidem habent. Quid igitur aliud quam tollit ex civitate auſpicia , qui plebeios conſules creando, à patribus , qui ſolì ea habere poſſunt , aufert ? Eludant nunc licet religiones , quid enim eſt , ( 13. ) ſi pulli non paſcen-

tur ,

*Ii erant in Rep: majores magiſtratus per ſolos Patricios auſpicatò diceretur Jnterrex . qui Centuriata Comitia creandis magiſtratibûs haberet.*

(13) *Inducit Tribunos pl: auſpicia contemnentes , quibus mox reſpondet , indicatque genera duo divinandi ex avibus , ex pullorum nimirum paſtu , & ex avium , oſcinum garritu cantuve , quod pro-*



tur ? ſi ex cavea tardius exierint ? ſi occinuerit avis ? Parva ſunt hæc : ſed parva iſta non contemnendo majores noſtri , maximam hanc rem fecerunt , nunc nos , tamquam iam nihil pace deorum opus ſit , omnes cæremonias polluimus. ( 14. ) Vulgo ergo pontifices , augures , ſacrificuli reges creentur : cuilibet ( 15. ) api-

 cem

*prie augurium. Præter hæc fuêre alia divinationis genera , Auſpicium , Aruſpina , & obſervatio de cælo. Hinc auſpicii vocabulum ab avium inſpiciendo volatu deductum. Servare augures de cælo dicebantur , cum obſervabant , an in aere appareret eorum aliquid , quibus viſis non liceret agere cum populo , veluti ſi fulſiſſet , ſi tonuiſſet , ſi quid de cælo tactum fuiſſet , ut id magiſtratibus nuntiarent . Aruſpices vero ex victimarum extis futura prædicebant.*

(14) *Creentur igitur Pontifices promiſcue & ex vulgi fece.*

(15) *Pileus erat ſutilis , quo Sacerdotes Gentiles utebantur , appellatus ab apien-*

cem dialem, dummodò homo ſit; imponamus: tradamus (16.) Ancilia, penetralia, deos deorumq; curam, quibus nefas eſt: non leges auſpicatò ferantur, non magiſtratus creentur: nec centuriatis, comitiis (17.) patres auctores fiant: Sextius & Licinius tanquam Romulus ac Tatius in urbe Rom. regnent, quia pecunias alienas, quia agros dono dant, tanta dulcedo eſt ex alienis fortunis prædandi: nec in mente venit altera lege ſolitudines vaſtas in agris fieri, pellendo finibus dominos; alte-

*do ſeu ligando. Proprie tamen ſignificat faſtigium ejus pilei, in cujus extremo, modicum quid lanæ eſt.*

(16) *Vide fol.*

(17) *Leges enim in populi Comtiis ita valebant, ſi accederet Senatûs auctoritas, unde apparebat, Senatum potiorem eſſe, ſed poſtea Lege Emilii cautum, ut auctoritas Senatûs legem præcederet, quam deinde populus jubere aut rejicere poſſet.*



altera fidem abrogari, cum qua omnis humana ſocietas tollitur. (18.) Omnium rerum cauſa vobis antiquandas cenſeo iſtas rogationes, quod faxitis, deos velim fortunare.

# ORATIO

## Legatorum Campanorum in Senatu, quo auxilium adverſus Samnites petunt, *ex lib: 7. Cap: 30. Liv:*

### ARGUMENTUM.

*Samnites ſocietate atque amicitia cum Romanis juncti, Sidicinis injuſtum bellum inferebant; quibus cum Sidicini ſe impares viderent, Campanos ſocios belli adſciverant. Campani magis nomen ac præſidium ſociorum quam vires cum attuliſſent, fluentes luxu, ab duratis uſu armorum in Sidicino pulſi agro, in ſe deinde molem omnem belli verterunt.*

 Nam-

(18) *Quarum omnium rerum cauſa.*

*Namque Samnites omissis Sidicinis, ipsam Arcem finitimorum Campanos adorti, unde æquè facilis victoria, prædæ atque gloriæ plus esset. Tifata (eo nomine montium jugum, quod antiquæ Capuæ imminebat) cum præsidiô firmô occupassent, descendunt inde quadrato agmine in planitiem, quæ Capuam Tifataque interjacet. Ibi rursus acie dimicatum, adversoque prælio Campani intra mænia compulsi. Cum robore Juventutis suæ acciso, nulla propinqua spes esset, coacti sunt à Romanis petere auxilium. Legati introducti in Senatum in hanc sententiam locuti sunt.*

POpulus nos Campanus legatos ad vos P. C. misit, amicitiam in perpetuum, auxilium præsens à vobis petitum. Quam si secundis rebus nostris petissemus, sicut cœpta celerius, ita infirmiore vinculo contracta esset. Tunc enim, ut qui ex æquo nos venisse in amicitiam meminisse-



nissemus, amici forsitan pariter ac nunc, subjecti atq; obnoxii vobis minus essemus. Nunc misericordia vestra conciliati, auxilioq; in dubiis rebus defensi, beneficium quoq; acceptum colamus oportet, ne ingrati, atque omni ope divina humanaq; indigni videamur. Neq; herculè, quòd Samnites priores amici sociiq; vobis facti sunt, ad id valere arbitor, ne nos in amicitiam suscipiamur: sed ut vetustate & gradu honoris nos præstent. neq; enim fœdere Samnitium, ne qua nova jungeretis fœdera, cautum est. Fuit quidem apud vos semper satis iusta causa amicitiæ, velle eum vobis amicum esse, qui vos appeteret. Campani, & si fortuna præsens magnificè loqui prohibet, non urbis amplitudine, non agri ubertate ulli populo, præterquam vobis cedentes, haud parva (ut arbitror) accessio bonis rebus vestris, in amicitiam ve-

 ni-

nimus vestram. Æquis Volscisq; æternis hostibus hujus urbis, quandocunq; se moverint, ab tergo erimus; & quod vos pro salute nostra priores feceritis: id nos pro imperio vestro, & gloria semper faciemus, (1.) Subactis iis gentibus, quæ inter nos vosq; sunt quod propediem futurum spondet, & virtus & fortuna vestra, continens imperium usq; ad nos habebitis. Acerbum & miserum est, quod fateri nos fortuna nostra cogit. Eo ventum est Patres conscripti, ut aut amicorum aut inimicorum Campani simus. Si defenditis, vestri: si deseritis, (2.) Samnitium erimus.

Ca-

*(1) Inter Campanos & Romanos, erant Latini veteres, tum Æqui, Hernici, Rutuli, Volsci, Arunci Latio postea omnes attributi, atque ultra Lirim fluvium, Sidicini Campanorum Clientes, ac velut portio. Priorum pleraque loco jam erant in Romanorum ditione.*

*(2) Ab ausonibus, qui postea Opici sive Osci*



Capuam ergo, & Campaniam omnem vestris, an Samnitium viribus accedere malitis, deliberate. Omnibus quidem, Romani, vestram misericordiam, vestrumq; auxilium æquum est patere: iis tamen maximè, qui eam implorantibus aliis auxilium dum supra vires suas præstant, omnes ipsi in hanc necessitatem venerunt. Quanquam pugnavimus verbo (3.) pro Sidicinis, re pro nobis, cùm videremus finitimum populum nefario latrocinio Samnitium peti: & ubi conflagrassent Sidicini, ad nos trajecturum illud incendium esse. Nec enim nunc, quia dolent injuriam ac-

ce-

*orti feruntur Sabini, horum soboles, (Varrone at Strabone testibus) pars Samnites, pars Sabelli vocati.*

*(3) Sidicini Ausonum pars ultra Lirim cis Vulturnum siti, clausi Aruncorum (qui Ausonum quoque pars) Volscorumque agro ad occidentem, reliqua ex parte Campanus & mari Tyrrheno.*

ceptam Samnites, ſed quia gaudent oblatam ſibi eſſe cauſam, oppugnatum nos veniunt. An ſi ultio iræ hæc, & non occaſio cupiditatis explendæ eſſet, parum fuit, quod ſemel in Sidicino agro, iterum in Campania ipſa legiones noſtras cecidere? Quæ eſt iſta tam infeſta ira, quam per duas acies fuſus ſanguis explere non potuerit? Adde huc populationem agrorum, prædas hominum atq; pecudum actas, incendia villarum, ac ruinas, omnia ferro igniq; vaſtata. Hiſcine ira expleri non potuit? Sed cupiditas explenda eſt, ea ad oppugnandum Capuam rapit. Aut delere urbem pulcherrimam, aut ipſi poſſidere volunt. Sed vos potius Romani beneficio veſtro occupate eam, quàm illos habere per maleficium ſinatis. Non loquor apud recuſantem juſta bella populum: ſed tamen ſi oſtenderitis auxilia veſtra, ne bello quidem arbitror vobis opus fore.



Uſque ad nos contemptus Samnitium pervenit, ſupra non aſcendit. Itaq; umbra voſtri auxilii Romani tegi poſſumus: quidquid deinde habuerimus, quidquid ipſi fuerimus, veſtrum id omne exiſtimaturi. Vobis arabitur ager Campanus, vobis Capua urbs frequentabitur: conditorum, parentum, deorum immortalium numero nobis eritis. Nulla colonia veſtra erit, quæ nos obſequio erga vos fideq; ſuperet. Annuite Patres Conſcripti, nutum nomenq; veſtrum invictum Campanis, & iubete ſperare incolumem Capuam futuram. Qua frequentia omnium generum multitudinis proſequente creditis nos illinc profectos; quàm omnia votorum lachrymarumque plena reliquiſſe? in qua nunc exſpectatione ſenatum populumq; Campanum, conjuges, liberoſq; noſtros eſſe? ſtare omnem multitudinem ad portas, viam hinc ferentem proſpectantes certum habeo, quid

quid illis nos Patres Conscripti sollicitis ac pendentibus animi renuntiare jubeatis. Alterum responsum salutem, victoriam, lucem ac libertatem: alterum ominari horreo, quæ ferat. Proinde ut aut de vestris futuris sociis atque amicis, aut nusquam ullis futuris nobis consulite.

# ORATIO

## M. Valerii Corvini Dictatoris ad Conjuratos contra Patriam Milites.

*ex lib: 7. Cap: 40. Liv.*

## ARGUMENTUM.

*Deliniti Milites Romani deliciis voluptatibusque quas abunde Campania subministrabat, inibant consilia, adimendæ Campanis Capuæ. C. Martius Rutilius Consul, re per Tribunos comperta, optimum ratus differendo spem, quandocunque vellent consilii exequendi militarem impetum frustrari, rumorem dissipat*

in



*in iisdem oppidis, & anno post præsidia
hibernatura (divisa enim erant per Cam-
paniæ Urbes) manaveratque à Capua
consilium in exercitum omnem. Eo laxa-
mente cogitationibus datô, quievit in
præsentia seditio. Consul educto in æstiva
Milite dum quietos Samnites habebat,
exercitum purgare missionibus turbulen-
torum hominum instituit. Variis itaque
confictis causis singulos primò, deinde &
cohortes Romam mittebat, quos ibi co-
lega remorabatur. Cæteri cum neminem
ex iis, qui dimittebantur redire ad ca-
stra viderent, emanasse sua consilia, re-
bantur. Cùm cohors una militum in sal-
tu consedit, qui eos omnes quos consul
mittebat sibis adjunjebant; Cui multitu-
dini jam validæ, dum nihil ad formam
exercitûs, deesset præter Ducem, T.
Quintium quendam Romanum sibi Impe-
ratorem deligunt. Hoc Duce jam ad
octavum lapidem viæ progressi erant ad
inferenda Romanis arma, cum M. Va-
lerium Corvinum Dictatorem contra se*

ve-

*venientem conspicientes expectandum esse censent. Ad colloquium deinde ventum est, ac prior Valerius in hac verba eos à pugna de hortatus est.*

DEos, immortales, milites, vestros, publicos, meosque ab urbe proficiscens ita adoravi, veniamque supplex poposci, ut mihi de vobis concordiæ partæ gloriam, non victoriam darent: satis fuit, eritq; unde belli decus pariatur: hinc pax petenda est. Quòd deos immortales inter nuncupanda vota expoposci, ejus me compotem voti vos facere potestis: si meminisse vultis non vos in Samnio, nec in Volscis, sed in Romano solo castra habere: si illos colles, quos cernitis, patriæ vestræ esse: si hunc exercitum civium vestrorum: si me consulem vestrum, cujus ductu auspicioque priore anno bis legiones Samnitium fudistis, bis castra vi cepistis. Ego sum M. Valerius Corvinus, milites: cujus vos nobilitatem beneficiis erga vos, non injuriis sensistis: nullius superbæ in vos legis, nullius crudelis S. C. auctor: in omnibus meis imperiis in me severior, quàm in vos. Ac si cui genus, si cui sua virtus, si cui etiam majestas, si cui honores subdere spiritus potuerunt: iis eram natus, id specimen mei dederam, ea ætate consulatum adeptus eram, ut potuerim tres & viginti annos natus consul patribus quoque ferox esse, non solùm plebi. Quod meum factum, dictumve consulis gravius, quàm (1.) tribuni audistis? eodem tenore duos insequentes consulatus gessi: eodem hæc imperiosa dictatura geretur: ut neque in hos meos & patriæ meæ milites mitior, quàm in vos, horreo dicere, hostes. Ergo vos prius in me strinxeritis ferrum,



quàm

(1) *Id est dum eram Tribunus Militum L. Furio Camilio Consule.*

quàm in vos ego, (2.) iſtinc ſigna canent, iſtinc clamor prius incipiet atque impetus, ſi dimicandum eſt. Jnducite in animum, quod non induxerunt patres avique veſtri: non illi, qui in (3.) Sacrum montem ſeceſſerunt: non hi, qui poſtea (4.) Aventinum inſederunt. Exſpectate dum vobis ſingulis, ut olim Coriolano, matres, conjugeſque crinibus paſſis obviæ ab urbe veniant. Tum Volſcorum legiones, quia Romanum habebant ducem, quieverunt: vos Romanus exercitus non deſtiteritis impio bello? (5.) T. Quinti, quocunque

(2) *Veſtra ex parte tubæ cantu, Cornuve ſignum pugnæ dabitur.*

(3) *Vide fol:* 3 (4) *Vide fol:* 5.

(5) *T. Quintius Vir quidam Patriciæ gentis, cui cum militiæ magna cum gloria actæ finem pes alter ex vulnere claudus feciſſet, in Tuſculanum agrum ſeceſſit, hunc ergo milites ſilentio noctis aggreſſi, in Caſtra pertraxerunt & imperare coegerunt.*



que iſtic (6.) loco ſeu volens, ſeu invitus conſtitiſti, ſi dimicandum erit, tum tu in noviſſimos te recipito: fugeris etiam honeſtius, tergumque civi dederis, quàm pugnaveris contra patriam. Nunc ad pacificandum bene atque honeſtè inter primos ſtabis, & colloquii hujus ſalutaris interpres fueris. (7.) Poſtulate æqua, & ferte: quamquam vel iniquis ſtandum eſt potius, quàm impias inter nos conſeramus manus.

# ORATIO

## Poſtumii Conſulis in Senatu de pace ad Caudium facta, *ex lib:9. Cap:8. Liv:*

## ARGUMENTUM.

*Pace ad Caudium, cum Samnitibus facta, per ſponſionem Conſulum Præfectorum*

(6) *Quocunque munere ibi ſeu ſponte ſeu coactus fungeris.*

(7) *Juſta petite ac proponite. Licet iniquæ etiam conditiones accipiendæ eſſent.*

*ctorum, Quæstorum, Tribunorum Militum, cum tempus constitutum adveniret, traditi obsides in custodiam abducti sunt. Consules deinde lictoribus per hostes cum fascibus abire jussis, detractisque paludamentis prope semi nudi sub jugum missi, quos sequebatur ut quisque gradu proximus erat, singulæ deinde legiones. Circumstabant armati hostes, exprobrantes eludentesque per contumeliam. Ipsum illud tam fædum spectaculum in eo ipso saltu exhibitum fuit, unde erumpere non potuerant; Ex quo abire jussi cum ante noctem Capuam pervenire possent, incerti tamen de fide sociorum, pudoreque prohibiti, humi haud procul Capua prosternuntur. Quod ubi Capuam allatum est, tum demum miseratione victi Campani, Magistratibus insignia, singulis arma equos, vestimenta, commeatus ex publico comiter impendunt, venientibus tota Civitas obviam egressa. Postero die Romam contendere placuit. Nocte ingressi habitu vultuque captorum in*



*in sua se quisque tecta taciti abdunt, unde pudore suffusi nec postero nec insequentibus aliquot diebus in publicum prodierunt. Omnia interim luctuosa mæstaque in Urbe erant. Ita interjectis aliquot diebus, tandem cum de pace ad Caudium facta referri placuit, tum à Publ: Filone Consule Sp: Postumius alter Consulum eorum qui subjugum missi fuerant dicere jussus ita rem exposuit.*

HAud sum ignarus, *Coss.* ignominiæ, non honoris causa me primùm excitatum, jussumq; dicere non tanquam senatorem, sed tanquam reum quà infelicis belli, quà (1.) ignominiosæ pacis. Ego tamen, quando neq; de noxa nostra, neq; de pœna retulistis, omissa defensione,

(1) *Ad Caudium, erat autem Caudium Oppidum Hirpinorum, ubi nunc vicus Arpaja, Furculæ autem Caudinæ, angustiæ montium, in saltu quo ab Arpaja descenditur Argentium.*

ne, quæ non difficillima esset apud haud ignaros fortunarum, necessitatumq; sententiam de eo, de quo retulistis, paucis peragam: quæ sententia testis erit, mihíne, an legionibus vestris pepercerim, cum me seu turpi, seu necessaria (2.) sponsione



(1) *Non enim fœdere pax facta est, cum C. Pontio Samnitium Imperatore, sed sponsione, quia Consules negabant injussu populi fœdus posse fieri, nec sine Fecialibus aliaque cæremonia solenni. Differt autem sponsio tum à pactione tum à fœdere, quamvis hæc tria generali conventionis nomine continentur. Sponsio, quæ inter privatos plerumque fit, eos tantum obligat qui prô se aut pro alio spondent, & licet publice fiat à Ducibus, quia tamen unius partis obligatio in ea vertitur, ejus firmandæ causa obsides dantur. Pactio naturalem non Civilem inducit obligationem, Fœdus autem inter duos populos, Regesve auctoritate publica eaque suprema sancitur, & prece sive imprecatione firmatur, ita ut utrique invicem obligarentur.*



sione obstrinxi. Qua tamen, quando injussu populi facta est, non tenetur populus Romanus: nec quidquam ex ea, præterquam corpora nostra, debentur Samnitibus. Dedamur per (3.) feciales nudi vinctiq;, exsolvamus religione populum, si qua obligavimus, ne quid divini humani-



(3) *Dici videntur à fœdere faciendo. Numero erant 20 Ex eorum Collegio quoties cum hostibus agendũ erat, Oratores quatuor deligebantur, quorum unus Pater Patratus, qui feriundo fœderi præerat, & jure jurando pacta firmabat vocabatur. Non tamen aliter illis licebat fœdera sancire, quam auctoritate summi Magistratus ac permissu populi. Eamque in rem fiebat Senatûs Consultum;* ut privos lapides silices, privasque verbenas secum ferrent: uti Prætor Romanus his imperaret, fœdus ferirent, illi Prætorem Sagmina poscerent, *Porro cum res populi jussu repetendæ erant, unus ex illorum quatuor Fecialium numero, gramen cum terra evulsum ferebat, Verbenarius id circo appellatus.*

manive obstet, quo minus justum piumq; de integro ineatur bellum. Jnterea *Co s s.* exercitum scribere, armare, educere placet: nec prius ingredi hostium fines, quàm omnia (4.) justa in deditionem nostram perfecta erunt. Vos dii immortales precor, quæsoq; si vobis non fuit cordi Sp. Postumium, T. Veturium *Co s s.* cum Samnitibus prosperè bellum gerere, at vos satis habeatis, vidisse nos sub jugum missos, vidisse sponsione infami obligatos, videre nudos vinctosq; hostibus deditos, omnem iram hostium nostris capitibus excipientes. Novos *Co s s.* legionesq; Romanas ita cum Samnite gerere bellum velitis, ut omnia ante nos Consules bella gesta sunt.

ORA-

(4) *Quæcunque in solenni deditione requiruntur, ut ea jure fiat, nimirum ut quæ debentur hostibus & dedantur, & servato per Feciales ritu dedantur.*



# ORATIO

Sp: Postumii contra Tribunos Plebis qui deditionem impediebant ex *lib: 9. Cap: 9. Liv:*

## ARGUMENTUM.

*Postquam Sp: Postumius sibi placere dixerat, ut Authores sponsionis pacisque Caudinæ nudi vinctique dederentur, L. Livius & Q. Metellus Tribuni Plebis, ad quos pars ejus deditionis pertinebat (priusqnm enim Tribuni crearentur in exercitu ad Caudiam erant) intercedendo contendebant, sua deditione populum Rom: religione exsolvi non posse, nisi omnia Samnitibus, qualia apud Caudium fuissent redderentur, se item cum Sacrosancti sint, dedi hostibus violarique nec posse nec debere, quæ cum ab illis jactari Sp: Postumius audiret ita rationes eorum confutabat.*



In

INterea dedite, (1.) profanos nos, quos salva religione potestis: dedetis deinde & istos sacrosanctos, cùm primùm magistratu abierint: sed, si me audiatis, prius quàm dedantur, hic in comitio virgis cæsos, hanc jam ut (2.) intercalatæ pœnæ usuram habeant. Nam quòd deditione nostra negant exsolvi religione populum, id istos magis ne dedantur, quàm quia ita se res habeat, dicere, quis adeò juris fecialium expers est, qui ignoret? Neq; ego inficias eo, patres conscripti, tam sponsiones, quàm fœdera sancta esse apud eos homines, apud quos juxta divinas religiones fides hu-

(1) *Respondet Postumius orationi Tribunorum Plebis, qui se Sacrosanctos dixerant, ob leges sacratas, eorum causa conditas non Consulum gratia.*

(2) *Pro intermissæ & dilatæ. Metaphora est à fæneratoribus ducta, qui solutionis diem ita prorogant, si interim usuræ nomine aliquid augmenti præstetur.*



humana colitur: sed injussu populi nego quidquam sanciri posse, quod populum teneat. An si eadem superbia, qua sponsionem istam expresserunt nobis Samnites, coegissent nos (3.) verba legitima dedentium urbes nuncupare, deditum populum Romanum vos tribuni diceretis? & hanc urbem, templa, delubra, fines, aquas Samnitium esse? Omitto deditionem quoniam de sponsione agitur. Quid tandem, si spopondissemus urbem hanc relicturum populum Romanum? si incensurum? si magistratus, si senatum,



(3) *Hæc autem erat formula dedentium: Rex aut alius in suprema dignitate constitutus, interrogavit:* Estisne vos Legati Oratoresque, missi à populo N. ut vos populumque dederetis? Sumus. Estne populus N. in sua potestate? Est. Deditisne vos, populum, Urbem, agros, aquam, terminos, delubra, utensilia, divina humanaque omnia in meam populique N. ditionem? Dedimus. At ego recipio.

si leges non habiturum ? si sub regibus futurum, Dii meliora, inquis.! ( 4. ) atqui non indignitas rerum sponsionis vinculum levat. Si quid est, in quod obligari populus possit, in omnia potest. & ne illud quidem, quod quosdam forsitan moveat, refert, *Cos.* an dictator, an prætor spoponderit, & hoc ipsi etiam Samnites judicaverunt, quibus non fuit satis *Co ss.* spondere, sed legatos, quæstores, tribunos militum spondere coègerunt. Nec à me nunc quisquam quæsiverit quid ita spoponderim: cùm id nec consulis jus esset, nec illis spondere pacem, quæ mei non erat arbitrii: nec pro vobis, qui nihil mandaveratis, possem. Nihil ad Caudium, patres conscripti, humanis consiliis gestum est, dii immortales & nostris, & hostium imperatoribus mentem ademerunt, nec nos

(4) *At enim obligatio ex promisso nata, non minuitur atrocitate rei promissæ.*



nos in bello satis cavimus: & illi malè partam victoriam malè perdiderunt: dum vix locis, quibus vicerant, credunt, dum quacunq; conditione arma viris in arma natis auferre festinant. An si sana mens fuisset, difficile illis fuit, dum ( 5. ) senes ab domo ad consultandum accersunt, mittere Romam legatos? cum populo de pace, fœdere, agere? tridui iter expeditis erat, interea in induciis res fuisset, donec ab Roma legati aut victoriam illis certam, aut pacem afferrent, ea demum sponsio esset, quam populi jussu spopondissemus. Sed neq; vos tulissetis, nec nos spopondissemus: nec fas fuit alium rerum exitum esse, quàm ut & illi velut somnio lætiore, quam quod



(5) *Pontius enim Samitium Imperator, Herennium Patrem suum per literas consuluit, quid de Romanis à se undique clausis statueret, cui Senex: aut omnes inde quam primum inviolatos dimittendos, aut ad unum omnes interficiendos reposuit.*

quod mentes eorum capere possent; nequiquam eluderentur: & nostrum exercitum eadem quæ impedierat fortuna, expediret: vanam victoriam vanior irritam faceret pax: sponsio interponeretur, quæ neminem præter sponsorem obligaret. Quid enim vobiscum patres conscripti? quid cum populo Romano actum est? quis vos appellaré potest: quis se à vobis dicere deceptum? hostis? an civis? hosti nihil spopondistis: civem neminem spondere pro vobis Jussistis. Nihil ergo vobis, nec nobiscum est, quibus nihil mandastis: nec cum Samnitibus, cum quibus nihil egestis. Samnitibus sponsores nos sumus rei satis locupletes in id, quod nostrum est: in id, quod præstare possumus, corpora nostra, & animos: in hæc sæviant, in hæc ferrum, in hæc iras acuant. Quod ad tribunos plebis attinet, consulite utrum præsens deditio eorum fieri possit, an in di-

em



em differatur: nos interim (6.) T. Veturi, vosq; ceteri vilia hæc capita luendæ sposionis feramus, & nostro supplicio liberemus Romana arma.

# ORATIO

C. Pontii Sannitium Regis ad Fecialem. *ex lib: 9. Cap: 11. Liv:*

## ARGUMENTUM.

*Sp: Postumius inter verba deditionis genu fecialis femur quanta maxima vi potuit perculit, dicens se Samnitem Civem esse à se cum præter jus, Legatus Romanus violatus sit, justius bellum gesturos. Pontius verò cum hoc factum animadvertisset deditionem se accepturum ita negavit.*

 Nec

(6) *( Js erat alter Consul ) ad sponsionis nostræ fidem implendam, nosmet ipsos qui abjecta capita sumus ( præ Tribunis scilicet ) offeramus ac dedamus hostibus. Nostrisque pœnis expiatum exercitum Romanum, reddamus liberum ad arma capienda atque in hostes gerenda.*

NEc ego iſtam deditionem accipiam, nec Samnites ratam habebunt. Quin tu Spuri Poſtumi, ſi deos eſſe cenſes aut omnia irrita facis, aut pacto ſtas? Samniti populo omnes, quos in poteſtate habuit, aut pro iis pax debetur. Sed quid ego te appello, qui te captum victori cum qua potes fide reſtituis? populum Rom. appello, quem ſi ſponſionis ad Furculas Caudinas factæ pœnitet, reſtituat legiones intra ſaltum, quo ſeptæ fuerunt; nemo quemquam deceperit, omnia pro in feſto ſint: recipiant arma, quæ per pactionem tradiderunt: redeant in caſtra ſua: quidquid pridie habuerunt, quàm in colloquium eſt ventum, habeant. Tum bellum & fortia conſilia placeant: tunc ſponſio & pax repudietur. Ea fortuna, iis locis, quæ ante pacis mentionem habuimus, geramus bellum, nec populus Romanus conſulum



lum ſponſionem, nec nos fidem populi Romani accuſemus. Nunquamne cauſa deficiet, cur victi pacto non ſtetis? obſides (1.) Porſenæ dediſtis, furto eos, ſubduxiſtis: auro civitatem à Gallis redemiſtis, inter accipiendum aurum cæſi ſunt, pacem nobiſcum pepigiſtis, ut legiones vobis captas reſtitueremus, eam pacem irritam facitis, & ſemper aliquam fraudi ſpeciem juris imponitis. Non probat populus Rom. ignominioſa pace legiones ſervatas? (2.) pacem ſibi habeat, legiones captas victori reſtituat, hoc fide, hoc fœderibus, hoc fecialibus cæremoniis dignum erat,

D 6

(1) *Fruſtra hic arguit Pontius Romanos, quaſi obſides datos Porſenæ furto ſubduxiſſent. Partem enim obſidum, ob egregium Clelia facinus, Rex eidem donavit, permiſitque ut quos illa vellet ſibi legeret, partem anno inſequenti Romanis reddidit.*

(2) *Id eſt: recipiat ſibi populus Rom: pacem quam per Conſules cum Samnitibus pactus fuerat.*

rat. Ut tu quidem, quod petisti, per pactionem habeas tot cives incolumes; ego pacem, quam hosti tibi remittendo pactus sum, non habeam? hoc tu A. Corneli, hoc vos (3.) feciales juris gentibus dicitis? Ego verò istos, quos dedi simulatis, nec accipio, nec dedi arbitror, nec moror, quo minus in civitatem obligatam sponsione commissa, iratis omnibus diis, quorum eluditur numen, redeant. Gerite bellum, quando Sp. Postumius modo legatum fecialem genu perculit, ita dii credent Samnitem civem Postumium non civem Romanum esse, & à Samnite legatum Romanum violatum. Eo vobis justum in nos factum esse bellum. Hæc ludibria religionum non pudere in lucem proferre? & vix pueris dignas ambages senes ac consulares fallendæ fidei exquirere? J lictor, deme

(3) *seu: hoccine jus pro æquo jure populis pronuntiare audetis feciales?*



deme vincla Romanis: moratus sit nemo, quo minus ubi visum fuerit, abeant.

# ORATIO

P. Sempronii Tribuni Plebis contra Ap: Claudium, qui se intra legitimum tempus Censura abdicare nolebat *ex lib: 9. Cap: 34. Liv.*

## ARGUMENTUM.

*Appius Claudius Censor erat, qui cum lege Æmilia circumactis decem & octo mensibus, abire Magistratu deberet, nec lege, nec exemplo Collegæ C. Plautii, nec vi ulla cogi poterat; ut se abdicaret. Cavillabatur autem neminem ea lege teneri, qui post eam latam creatus fuisset. Ejus Magistratus finiendi Sp: Sempronius Tribunus actionem susceperat, qui superbiam insolentiamque Appii apud populum ita criminatus est.*

EN, Quirites illius Appii progenies, qui decemvir in annum crea-

creatus, altero anno ſe ipſe creavit: tertio, nec ab ſe, nec ab ullo creatus, faſces & imperium obtinuit: nec antè continuando abſtitit magiſtratu, quàm obruerent eum malè parta, malè geſta, malè retenta imperia. Hæc eſt eadem familia, Quirites, cujus vi atque injuriis compulſi extorres patria (1.) Sacrum montem cepiſtis: hæc, adverſus quam tribunitium auxilium vobis comparaſtis, hæc, propter quam (2.) duo exercitus Aventinum inſediſtis: hæc, quæ fænebres leges: hæc, quæ agrariam ſemper impugnavit: hæc connubia patrum & plebis

(1) *Primæ ſeceſſioni in montem Sacrum, occaſionem præbuiſſe A Claudium qui primus ejus nominis erat, avum nempe Decem viri colligitur ex* lib: 2. Liv: Ca: 31.

(2) *Et is qui erat in Sabinis, & is qui erat in Algido, ille ab Icilio Numitorioque, hic a Virginio ad ſeditionem concitatus.*



bis interrupit, hæc plebi ad curules magiſtratus iter obſepſit, hoc eſt nomen multò quàm Tarquiniorum, infeſtius veſtræ libertati. Itàne tandem Appi Claudi, cùm centeſimus jam annus ſit ab Mamerco Æmilio dictatore, tot cenſores fuerint nobiliſſimi fortiſſimìq; viri, nemo eorum duodecim tabulas legit? nemo id jus eſſe, quod poſtremò populus juſſiſſet, ſcivit? Immò verò omnes ſciverunt: ideò Æmiliæ potius legi paruerunt, quàm illi antiquæ, quaprimum cenſores creati erant, quia hanc poſtremùm juſſerat: & quia ubi duæ contrariæ leges ſunt, ſemper antiquæ abrogat nova. An hoc dicis Appi? non teneri Æmilia lege populum? an populum teneri te unum extra legem eſſe? Tenuit Æmilia lex violentos illos cenſores, C. Furium & M. Geganium, qui, quid iſte magiſtratus in Rep. malè facere poſſet, indicarunt: cùm ira (3.) finitæ potes-

(3) *Id eſt circum ſcriptæ, ut quæ olim quin-*

testatis, Mamercum Æmilium principem ætatis suæ belli domiq;, (4.) ærarium fecerunt. Tenuit deinceps omnes censores intra centum annorum spatium, tenet C. Plautium collegam tuum, iisdem auspiciis, eodem jure creatum. An hunc non ut (5.) qui

*quennalis erat, post legem Æmiliam annua & Semestris esset.*

(4) *Jd est: inter ærarios retulerunt. Erant autem ærarii, qui ignonimiæ causa à Censoribus suffragio ac jure stipendii militaris exuti, non aliud jus Civitatis retinebant, quam ut tributi nomine, æra pro suo capite penderent.*

(5) *Hac ratione Appius utebatur, ne Censuram abdicaret, quod cum Censor, ut qui* optimo jure *sive optima lege creatus esset, similis esse deberet priscis illis qui Censuram per quinquennium gesserant; illos enim meliori jure ac conditione fuisse, iis qui non nisi Anno ac dimidio Censores fuissent. Reponit P. Sempronius Tribunus clausulam illam qua utebantur qui Magistratus & Sacerdotes renuntiabant,* meram



qui optimo Jure censor creatus esset, populus creavit? tu unus eximius es, in quo hoc præcipuum ac singulare valeat? Quem tu regem sacrifici-

*meram fuisse formulam Appio cum cæteris Magistratibus communem, qua jubebantur honores gerere, uti optimo jure geri possent, sed secundum leges quibus tunc viverent Romani. Jdque ita acceptum ab aliis Censoribus, qui à centum amplius annis creati essent, atque adeò ab ipso Appii Collega. Alioqui futurum, ut qui Rex Sacrificulus crearetur, quia ut qui* optimo jure, *dicebatur, posset Regiam potestatem vindicare, quandoquidem optimum fuisset jus, optimaque conditio priscorum Regum, qui Romæ regnaverant a Romulo. Sic etiam reliquos Magistratus ac Sacerdotes ea formula abuti posse: verbi causa: Dictatores qui clavi figendi causa creati sint quod* optima lege se *creatos dicant, tentaturos Jmperium sibi in sex Menses arrogare, quod hæc optima sit lex Dictatorum. Verum sicut in his ferenda non sit hæc novitas, ita nec in Appio ferenda.*

ficiorum crees ? amplexus regni nomen, ut qui optimo jure rex Romæ creatus sit creatum se dicet ? quem semestri dictatura, quem interregno quinq; dierum contentum fore putes ? quem clavi figendi, aut ludorum causa dictatorem audacter crees ? Quàm isti stolidos ac socordes videri creditis eos, qui intra vicesimum diem ingentibus rebus gestis dictatura se abdicaverunt ? aut qui vitio creati abierunt magistratu ? Quid ego antiqua repetam ? Nuper intra decem annos (6.) C. Mænius dictator, quia cùm

(6) *C. Mænius Dictator erat creatus quæstionum exercendarum causa, in eos qui conjurationem Capuæ fecerant, sed cum Principes ejusdem, metu penæ mortem sibi ipsis conscivissent, sicque quæstionis Campanæ materia decesisset, versa Romam interpretando res est, & Senatus quæri jussit in eos etiam qui Magistratus ambirent. Has quæstiones severius cum Dictator exerceret, objicitur ipsi ab Inimicis ejusdem ambitus crimen, cui ut obviam iret, Dictatura se abdicavit.*



cùm quæstiones severius, quàm quibusdam potentibus tutum erat, exerceret; contagio ejus quod quærebat, ipsi criminis objectata ab inimicis est, ut privatus obviam iret crimini, dictatura se abdicavit. Nolo ego istam in te modestiam: ne degeneraveris à familia imperiosissima & superbissima: non die, non hora citius, quam necesse est, magistratu abieris, modò ne excedas finitum tempus, satis est, aut diem aut mensem censuræ adjicere. Triennium, inquit, & sex menses ultrà quàm licet Æmilia lege, censuram geram, & solus geram, hoc quidem jam regno simile est. An collegam subrogabis ? quem ne in demortui quidem locum subrogari fas est ? pœnitet enim, quòd antiquissimum solenne, & solum ab ipso, cui sit, institutum deo, ab nobilissimis antistitibus ejus sacri ad (7.) servorum ministerium religiosus

(7) *Appio enim auctore Potitia gens servos publicos ministerii delegandi causa,*

ſus cenſor deduxiſti : gens (8.) antiquior originibus urbis hujus, hoſpitio deorum immortalium ſancta, propter te ac tuam cenſuram intra annum ab ſtirpe extincta eſt : niſi univerſam Remp. eo nefario obſtrinxeris : quod ominari etiam reformidat animus. Urbs eo luſtro capta eſt, quo, demortuo collega C. Iulio cenſore L. Papirius Curſor, ne abiret magiſtratu, M. Cornelium Maluginenſem collegam ſubrogavit. Et quantò modeſtior illius cupiditas fuit, quàm tua Appi? nec ſolus, nec ultra finitum lege tempus L. Papirius cenſuram geſſit, tamen neminem invenit, qui ſe poſtea auctorem ſequeretur, omnes deinceps cenſores poſt mor-

*ſolemnia Herculis, docuerat, ob cujus rei indignitatem omnes Potitii intra Annum extincti erant.*

(8) *Potitii, qui jam tempore ipſius Herculis & EVandri floruerunt, ab ipſoque Hercule ritum Sacrorum ſuorum fuerant edocti.*



mortem collegæ ſe magiſtratu abdicarunt. Te nec quòd dies exiit cenſuræ, nec quòd collega magiſtratu abiit, nec lex, nec pudor coercet: virtutem in ſuperbia, in audacia, in contemptu deorum hominumq; ponis. Ego te Appi Claudi pro iſtius magiſtratus majeſtate ac verecundia, quem geſſiſti non modo manu violatum, ſed ne verbo quidem inclementiori à me appellatum vellem: ſed & hæc quæ adhuc egi, pervicacia tua & ſuperbia coegit me loqui & niſi Æmiliæ legi parueris, te in vincula duci jubebo. Nec cùm ita comparatum à majoribus ſit, ut comitiis cenſoriis, niſi duo confecerint legitima ſuffragia, non renunciato altero comitia differantur: ego te, qui ſolus cenſor creari non poſſis, ſolùm cenſuram gerere patiar.

Per

# ORATIO

Hannonis ad Carthaginenses contra Annibalem de fædere rupto. ex *lib*: 21. *cap*: 10.

## ARGUMENTUM.

*Factiones erant duæ inter Carthaginenses ortæ, altera Barcinorum, qui ad Annibalem Jmperium deferendum censebant; altera aliorum, cujus Princeps Hanno erat. Js Annibali, rerum summam tradendam non putabat; sed potius continendum eum domi sub legibus, docendumque vivere cum cæteris æquo jure sub magistratibus: ne is velut parvus ignis incendium ingens quandoque exsuscitaret. Vicit tamen factio prior, ut Annibal bello præficeretur, qui ut primum Dux declaratus est, oppugnare Saguntum cæpit. Quod ubi Romam à Saguntinis delatum, missi legati, sed nec admissi, nec auditi ab Annibale sunt. Qui cum Carthaginem conquestum de fædere rupto*



*rupto ituros acciperet literas nuntiosque ad Principes Barcinæ factionis præmisit, quibus eos monebat, ut suorum animos præpararent, ne quid factio altera pro Romanis gratificaretur. Porro jam Carthaginem legati Romanorum pervenerant, cum Hanno ipse alterius factionis Princeps, in Senatu de re quæ contigerat, ita sententiam peregit.*

PEr deos fœderum arbitros ac testes monuisse, prædixisse se, ne Amilcaris progeniem ad exercitum mitterent, non manes, non stirpem ejus conquiescere viri: nec unquam, donec sangvinis nominisque Barcini quisquam supersit, ( 1. ) quietura Romana fædera. Iuvenem flagrantem cupidine regni, viamque unam ad id cernentem, si ex bellis bella serendo succinctus armis legionibusque vivat, velut materiam igni præbentes,

(1) *Stabile futurum fædus Carthaginensium cum Romanis.*

tes, ad exercitus misistis, aluistis ergo hoc incendium, quo nunc ardetis. Saguntum vestri circumsident exercitus, unde arcentur (2.) fœdere: mox Carthaginem circumsidebunt Romanæ legiones, ducibus iisdem diis, per quos priore bello rupta fœdera sunt ulti. Utrùm hostem, an vos, an fortunam utriusque populi ignoratis? Legatos ab (3.) sociis, & pro sociis venientes bonus imperator vester in castra non admisit, jus gentium sustulit. hi tamen, unde ne hostium quidem legati arcentur, pulsi ad vos veniunt res ex fœdere repetunt: (4.) publica fraus absit: auctorem culpæ, & reum criminis deposcunt. Quo lenius agunt, segni-

(2) *Cavebatur enim fœdere, quod Amilcar cum Rom: pepigit: ut amnis Iberus, Imperri Rom: & Carth: terminus esset, Saguntinisque libertas servaretur.*

(3) *A Romanis pro Saguntinis.*

(4) *Deposcunt scilicet Legati ut nihil consilio publico fiat adversus fœdus.*



segnius incipiunt: eó cùm cœperint, vereor ne persuverantius sæviant. (5.) Ægates insulas (6.) Erycemq; ante ocu-

E

(5) *Tres sunt Insulæ contra Lilybæum Siciliæ Promont: ac Drepanum ejusdem Insulæ Urbem maritimam, quarum quæ Lilybæo proxima Ægusa sive Capraria dicebatur, nunc Favignana, quæ ex adverso Drepani, Phorbantia seu Bucinna, hodie Lavenzo, tertia Hiera sive Sacra ac post maritima, & hodie Marethamo. Inter Hieram & Ægusam comissò naval prælio Lutatius Consul Rom: classem Pœnorum vicit, fugato Hannone Duce, demersis Pœnorum 50. navibus, captis 70. & cum iis amplius decem millibus hominum, atque hoc prælio impositus primo bello Punico finis erat, coactusque Amilcar Pœnorum Dux Siciliâ excedere, gravesque pacis leges accipere.*

(6) *Hoc nomine mons & oppidum fuère in Sicilia. Hunc locum L. Junius Consul, quamvis amissa naufragiô classe occupavit, duplici præsidio, altero ad radices montis collocato, altero verò in vertice, atque Urbs munitissima & situ inexpu-*

oculos proponite, quæ terra mariq; per quatuor & viginti annos pasli sitis. Nec puer hic dux erat, sed pater ipse Amilcar, Mars alter, ut isti volunt. Sed (7.) Tarento tum in Italia non abstinueramus ex fœdere: sicut nunc Sagunto non abstinemus. Vicerunt ergo dii hominesq;, & id de quo verbis ambigebatur, uter populus fœdus rupisset: eventus belli, velut æquus iudex, unde jus stabat, ei victoriam dedit. Carthagini

*gnabilis, paulo post Lutatii victoriam, in Romanorum venit potestatem.*

(7) *Urbs ampla Magnæ Græciæ in Prov: Calab: Hæc missis legatis ad Carth: auxilium ab iis petiit adversus Milonem, qui erat præsidio Urbi à Pyrrho relictus, & Rom: hostes, qui extra mænia consistebant. Carthaginenses prompte cum classe instructa occurrerunt, cæterum Rom: communicato cum Milone consilio, Urbe potiti sunt. Hoc igitur Hanno dicit contra fædus à Carthaginensibus factum esse, quod adversus socios auxilium tulerint.*



gini nunc Annibal (8.) vineas turresq; admovit: Carthaginis mœnia quatit (9.) ariete, Sagunti ruinæ (falsus utinam vates sim) nostris capitibus incident: susceptumq; cum Saguntinis bellum, habendum cum Romanis est. Dedemus ergo Annibalem? dicet aliquis. Scio meam levem esse in eo auctoritatem, propter paternas inimicitias, sed & Amilcarem eo periisse lætatus sum: quòd si ille viveret, bellum jam cum Romanis haberemus: & hunc juvenem tamquam furiam facemq; hujus belli odi ac detestor, nec dedendum solùm ad piaculum rupti fæderis: sed, si nemo deposcat, devehendum in ultimas maris terrarumq; oras, ablegandumq; eò, unde nec ad nos nomen famaq; ejus accedere, nec solicita-



(8) *Vide vineas turresque fol. 18.*

(9) *Nihil aliud fuit aries, quam trabs prægrandis, quæ solidabatur in capite gravi ferro, in arietis formam, unde & nomen accepit.*

citare quietæ civitatis ſtatum poſſit. Ego autem ita cenſeo : legatos extêmplò Romam mittendos, qui ſenatui ſatis faciant; alios qui Annibali nuntient , ut exercitum ab Sagunto abducat : ipſumq; Annibalem ex fœdere Romanis dedant : tertiam legationem ad res Saguntinis reddendas decerno.

# ORATIO

P. Scipionis ad Milites. ex *lib.* 21. *Cap:* 40. *Liv:*

## ARGUMENTUM.

*Publius Scipio ad oſtium Rhodani congreſſus cum hoſte, cæſis ferè utrinque paribûs, ſubitò Numidarum pavore atque fugâ, victoriam obtinuerat. Exercitus ejus victoris maximam partem, C. Scipioni fratri tradidit ducendam in Hiſpaniam adverſus Asdrubalem. Profectus non multo poſt navibûs Piſas, exercitum tironem adhuc & trepidum à Manlio Attilioque accipit, ſpe atque conſilio cum hoſte ad Padum confligendi. Jtaque ubi in conſpectum hoſtium Pœnorum ventum eſt, hac oratione Militum animos ad egregiè pugnandum adhortatur.*



SI eum exercitum milites educerem in aciem, quem in Gallia mecum habui, ſuperſediſſem loqui apud vos. Quid enim adhortari referret : aut eos equites, qui equitatum hoſtium ad (1.) Rhodanum flumen egregiè viciſſent, aut eas legiones, cum quibus (2.) fugientem hunc



(1) *Annibal trajecto Rhodano in Galliis, quingentos Numidas Equites miſerat ad caſtra Romana ſpeculatum, ubi, & quantæ copiæ eſſent. Huic alæ Equitum occurrerant tercenti Romani Equites à P. C. Scipione eadem de cauſa miſſi. Signis collatis victoria Romanis ceſſit.*

(2) *Annibal rectà ad Alpes perrexit non expectato hoſte, cum quo priusquam in Jtaliam ventum foret, non erat in animo manus conſerere.*

hunc ipſum hoſtem ſecutus, confeſſionem cedentis ac detrectantis certamen pro victoria habui. Nunc quia ille exercitus Hiſpaniæ provinciæ ſcriptus, ibi cum fratre Cn. Scipione (3.) meis auſpiciis rem gerit, ubi eum gerere ſenatus populuſq; Romanus voluit: ego, ut *Cos*, ducem adverſus Annibalem ac Pœnos haberetis, ipſe me huic voluntario certamini obtuli. Novo imperatori apud novos milites pauca verba facienda ſunt. Ne genus belli, neve hoſtem ignoretis: cum iis eſt vobis, milites pugnandum, quos terra marique priore bello viciſtis: à quibus ſtipendium per viginti annos exegiſtis:

à qui-

(3) *P. enim Scipioni Conſuli hujus Anni Provincia Hiſpania evenerat, ad quam tutandam adverſus Aſdrubalem cum maxima parte copiarum Cn: Scipionem fratrem Legatum ſuum miſit, ipſe cum exiguis copiis Genuam rediit, Jtaliam defenſurus.*



à quibus capta belli præmia, Siciliam ac Sardiniam habetis. Erit igitur in hoc certamine is vobis, illiſque animus, qui victoribus & victis eſſe ſolet. Nec nunc illi, quia audent, ſed quia neceſſe eſt, pugnaturi ſunt: niſi creditis: qui exercitu incolumi pugnam detrectavêre, eos duabus partibus peditum equitumque in tranſitu Alpium amiſſis, qui plures penè perierint quàm ſuperſint, plus ſpei nactos eſſe. At enim pauci quidem ſunt, ſed vigentes animis corporibuſque, quorum robora ac vires vix ſuſtinere vis ulla poſſit. Effigies, imo umbræ hominum, fame, frigore, illuvie, ſqualore enecti, contuſi ac debilitati inter ſaxa rupeſque: ad hæc, (4.) peruſti artus, nive rigentes nervi, membra torrida gelu, quaſſata con-



fra-

(4) *Dicitur frigus urere & adurere, ut & torrere non minus quam æſtus Virg: Et boreæ penetrabile frigus adurat.*

fractaque arma : claudi ac debiles equi. Cum hoc equite, cum hoc pedite pugnaturi estis : reliquias extremas hostium, non hostes habebitis. Ac nihil magis vereor, quàm ne antequam vos cum hoste pugnaveritis, Alpes vicisse Annibalem videantur. Sed ita forsitan decuit, cum fæderum ruptore duce ac Populo, deos ipsos sine ulla humana ope committere ac profligare bellum : nos autem, qui secundum deos violati sumus, commissum ac profligatum conficere. Non vereor, ne quis me hoc vestri adhortandi causa magnificè loqui existimet, ipsum aliter animo affectum esse. Licuit mihi in Hispaniam provinciam meam ire, quo jam profectus eram cum exercitu meo, ubi & fratrem consilii participem, ac periculi socium haberem : & Asdrubalem potius quam Annibalem hostem, & minorem haud dubiè molem belli : tamen cùm præterveherer navibus Gal-



Galliæ oram, ad famam hujus hostis in terram egressus, præmisso equitatu, ad Rhodanum movi castra, equestri prælio, qua parte copiarum conferendi manum fortuna data est, hostem fudi, peditum agmen, quod in modum fugientium raptim agebatur, quia assequi terra non poteram, neque regressus ad naves erat, quanta maximé celeritate potui, tanto maris terrarumque circuitu, in radicibus Alpium obvius fui. Huic timendo hosti utrum cùm declinarem certamen, improvisus videor incidisse, an occurrere in vestigiis ejus? lacessere ac trahere ad decernendum? Experiri juvat, utrum alios repentè Carthaginienses per viginti annos terra ediderit : an iidem sint, qui ad (5.) Ægates pugnavêre insulas, & quos ab (6.) Eryce duodevicenis denariis æstimatos emisistis; &



(5) *Vide fol:* 90.
(6) *Vide fol:* 90.

& utrum Annibal hic sit æmulus itinerum * Herculis , ut ipse fert , an vectigalis stipendiariusq; & (8) servus populi Romani à patre relictus : quem nisi ( 7. ) Saguntinum scelus agitaret , respiceret profecto , si non patriam victam , ( 8. ) domum certè , patremq; & fœdera Amilcaris scripta manu : qui jussus à *Cos.* nostro præsidium deduxit ab Eryce : graves impositas victis Carthaginiensibus leges fremens mœrensq; accepit : qui decedere Siciliâ , qui stipendium populo Romano dare pactus est. Itaque vos

* *Hercules enim ut fabulæ ferunt devicto Gerione, ex ultima Hispania per Galliam in Italiam transcensis Alpibus transiit.*

(7) *Scelus appellat Sagunti Urbis Hispaniæ obsidionem & ruinam, contra fœdus peractam.*

(8) *Per domum, intelligit Familiam Barcinam, ex qua erat Pater Annibalis Amilcar, qui primo bello Punico finem necessaria cum Romanis pace imposuerat.*



vos ego milites , non eo solùm animo , quo adversus alios hostes soletis , pugnare velim : sed cum indignatione quadam atque ira , velut si servos videatis vestros , arma repentè contra vos ferentes. Licuit , si voluissemus , ad Erycem clausos ultimo supplicio humanorum , fame interficere , licuit classem victricem in Africam trajicere , atq; intra paucos dies sine ullo certamine Carthaginem delere. Veniam dedimus precantibus : emisimus ex obsidione : pacem cum victis fecimus : ( 9. ) tutelæ nostræ deinde duximus , cum Africo bello urgerentur. Pro his impertitis furiosum iuvenem sequentes , oppugnatum patriam nostram veniunt. Atq; utinam pro decore nobis hoc tantum , & non pro salute esset certamen. Non de possessione Siciliæ ac Sardiniæ , de quibus quondam agebatur , sed pro

 Ita-

(9) *Existimavimus Carthaginenses sub tutela nostra esse.*

Italia nobis eſt pugnandum : nec eſt alius ab tergo exerctus , qui , niſi nos vincimus , hoſti obſiſtat : nec Alpes aliæ ſunt , quas dum ſuperat , comparari nova poſſint præſidia. Hic eſt obſtandum , milites , velut ſi ante Romana mœnia pugnemus. Unuſquiſq; ſe non corpus ſuum , ſed conjugem ac liberos parvos , armis protegere putet : nec domeſticas ſolùm agitet curas , ſed identidem hoc animo reputet , noſtras nunc intueri manus ſenatum populumq; Romanum : qualis noſtra vis virtuſq; fuerit , talem deinde fortunam illius urbis ac Romani imperii fore.

## ORATIO

Annibalis ad Milites ex *lib*: 21. *cap*: 43. *Liv*:

### ARGUMENTUM.

*Annibal in tranſitu Alpium , barbaros multos bellum inferre volentes ceperat , quos in vinculis habuit: adhortaturus Milites ad pugnam, eorum barbarorum multa paria congredi detractis vinculis, armata, more Gallico, in conſpectu militum ex induſtria jubet : quibus aliquando poſt dimiſſis in hæc verba ſuos adhortatus eſt.*



SI quem animum in alienæ ſortis exemplo paulò ante habuiſtis , eundem mox in æſtimanda fortuna veſtra habueritis , vìcimus milites : neque enim ſpectaculum modo illud , ſed quædam velut imago veſtræ conditionis erat. Ac neſcio an majora vincula , majoreſq; neceſſitates vobis quàm captivis veſtris fortuna circumdederit. ( 1. ) Dextra lævaq; duo Maria claudunt , nullam ne ad effugium quidem navem habentibus , circa ( 2. ) Pa-

(1) *Hinc Jnferum ſive Tuſcum , inde Superum ſeu Adriaticum mare , vos clauſos tenet.*

(2) *Padus Græcis Eridanus , Fluvius maximus Jtaliæ , Galliam Jtalicam divi-*

Padus amnis, major ac violentior Rhodano, à tergo Alpes urgent, vix integris vobis, ac vigentibus transitæ. Hic vobis vincendum, aut moriendum, milites, est, ubi primùm hosti occurristis, & eadem fortuna, quæ necessitatem pugnandi imposuit, præmia vobis ea victoribus proponit, quibus ampliora homines ne à diis quidem immortalibus optare solent. Si Siciliam tantùm ac Sardiniam parentibus nostris ereptas nostra virtute recuperaturi essemus, satis tamen ampla pretia essent: quidquid Romani tot triumphis partum congestumqve possident, id omne nostrum cum ipsis dominis futurum est. In hanc tam opimam mercedem agite, cum diis bene juvantibus arma capite. (3.)

Sa-

*dit in Cispadanam & Transpadanam, in mare Adriaticum septem ostiis se effundit.*

(3) *Nullum hucusque sufficiens emolumentum, tot laborum periculorumque vidistis, consectando agrestes Hispaniæ popu-*



Satis adhuc in vastis Lusitaniæ Celtiberiæque montibus pecora consectando; nullum emolumentum tot laborum periculorumque vidistis: tempus est jam, opulenta vos ac ditia stipendia facere, & magna operæ pretia mereri, tantum itineris per tot montes fluminaque, & tot armatas gentes emensos. Hìc vobis terminum laborum fortuna dedit, hìc dignam mercedem emeritis stipendiis dabit. Nec quàm magni nominis bellum est, tam difficilem existimaveritis victoriam fore. Sæpe & contemptus hostis cruentum certamen edidit, & inclyti populi regesque perlevi momento victi sunt. Nam dempto hoc uno fulgore nominis Romani, quid est, quòd illi vobis com-

pa-

*los, Ilergetas, Bargusios, Ausetanos, Lacetanos qui circa Pyreneos montes incolebant (quos omnes ab Annibale victos esse constat).*

parandi ſint ? Ut ( 4. ) viginti annorum militiam veſtram cum illa virtute , cum illa fortuna taceam ; ab Herculis columnis , ab Oceano terminiſq; ultimis terrarum , per tot ferociſſimos Hiſpaniæ , & Galliæ populos vincentes huc perveniſtis ; pugnabitis cum exercitu tyrone , hac ipſa ( 5. ) æſtate cæſo , victo , circumſeſſo à Gallis , ( 6. ) ignoto adhuc duci ſuo , igno-

(4) *Sub Annibale ipſo non niſi octo Annos bellaverant : ſed reliquum militiæ tempus partim in Africa partim in Hiſpania egerant, ſub Amilcare Aninibalis Patre aut ſub Asdrubale.*

(5) *A Gallis Juſubribus Boijs, Gæſatis, ad Fæſulas Civitatem Etruriæ cæſus erat exercitus Rom: quique ex pugna ſupererant obſeſſi erant.*

(6) *Veterani Milites Rom: Cn: Scipionem in Hiſpaniam ſecuti erant, ei traditi à Publio fratre Conſule, qui nunc novas legiones acceperat à Prætoribus Attilio & Manlio. Itaque & Dux militibus & milites Duci ignoti dici poterant.*



ignoranteq; ducem. An me in Prætorio patris clariſſimi imperatoris propè natum , certè educatum , domitorem Hiſpaniæ , Galliæque , victorem eundem non Alpinarum modo gentium , ſed ipſarum , quod multò majus eſt , Alpium , cum ſemeſtri hoc conferam duce , deſertore exercitus ſui ? cui ſi quis demptis ſignis Pœnos Romanoſque hodie oſtendat, ignoraturum certum habeo , utrius exercitus ſit *Cos.* Non ego illud parvi æſtimo milites , quòd nemo veſtrum eſt , cujus non ante oculos ipſe ſæpe militare aliquod ediderim facinus , cui non idem ego virtutis ſpectator ac teſtis , notata temporibus lociſq; referre ſua poſſim decora : cum laudatis â me millies , donatiſq; Alumnus prius omnium veſtrûm , quàm imperator , procedam acie adverſus ignotos inter ſe , ignorantesq;. Quocumque circumtuli oculos , plena omnia video animorum ac roboris , vetera-

teranum peditem generosissimarum gentium equites ( 7. ) frenatos & infrenatos , vos socios fidelissimos fortissimosque , vos Carthaginienses, tum ob patriam , tum ob iram justissimam pugnaturos. Inferimus bellum, infestisque signis descendimus in Italiam , tantò audaciùs fortiùsque pugnaturi , quantò major spes majorq; animus inferentis est vim ; quàm arcentis. Accendit præterea animos & stimulat dolor , injuria , indignitas. Ad ( 8. ) supplicium depoposcêre me, ducem primùm , deinde vos omnes, qui Saguntum oppugnassettis , deditos ultimis cruciatibus affecturi fuerunt.

Cru-

(7) *Per infrænatos intelliguntur Numidæ qui equos sine frænis agebant, per frænatos autem intelliguntur reliqui Galli scilicet & Hispani equites, quos cum Afris suis, Annibal in exercitu habebat.*

(8) *Legati missi Carthaginem à Romanis P. Valerius Flaccus & Q. Bæbius Tamphilus, Annibalem Ducem in pænam fæderis violati deposcebant.*



Crudelissima ac superbissima gens, sua omnia suique arbitrii facit, cum quibus bellum , cum quibus pacem habeamus, se modum imponere æquum censet ; circumscribit includitque nos terminis montium fluminumque : quos ne excedamus, neque eos, quos statuit , terminos observat. Ne transieris ( 9. ) Iberum : ne quid rei tibi sit cum Saguntinis , ad ( 10. ) Iberum est , Saguntum , nusquam te vestigio moveris. Parum est , quòd veterrimas provincias nostras Siciliam ac Sardiniam ademit , nisi adimat etiam

(9) *Cavebatur enim ultimo fædere quod in Hispania cum Asdrubale ictum fuerat, ne liceret Carthaginensibus Iberum transire.*

(10) *Imo cis Iberum intra fines Carthaginensibus concessos, sed Annibal Romanos inducit hoc falso affirmantes, quì invidiam eis apud Milites creet. Cæterum & si extra Romanorum tunc limites Saguntus esset, socia tamen Romanis Civitas erat.*

tiam Hiſpaniam : & ſi inde ceſſero, in Africam tranſcendet. Tranſcendet autem dico? duos *Coss.* hujus anni, unum in (11.) Africam, alterum in Hiſpaniam miſerunt. Nihil uſquam nobis eſt, niſi quod armis vindicaverimus, illis timidis & ignavis licet eſſe, qui (12.) receptum habent, quos ſuus ager, ſua terra per tuta ac pacata itinera fugientes accipient : vobis neceſſe eſt fortibus viris eſſe, & (13.) omnibus inter victoriam mortemve certa deſperatione abruptis, aut vincere, aut ſi fortuna dubitabit, in prælio potius, quàm in fuga, mortem oppetere. Si hoc bene fixum omnibus, deſtinatumque in animo eſt, iterum dicam, Viciſtis,

(11) *Tiberium Sempronium, Cn: Supionem in Hiſpaniam.*

(12) *Quò perfugii vel auxilii cauſa reſpiciant.*

(13) *Seu, nulla re vobis relicta, quæ inter victoriam & mortem media ſit, omnibus ademptis ſine ulla ſpe.*



ſtis : nullum incitamentum ad vincendum homini à diis immortalibus acriùs datum eſt.

# ORATIO

## FabiiMaximi adÆmilium deVarrone, & ratione pugnandi cum hoſte : ex *lib*: 22. *cap*: 39. *Liv:*

## ARGUMENTUM.

*C. Terentius Varro & L. Paulus Æmilius Conſules creati, cum contra Annibalem copias ducere pararent, Varro concionem forte habuerat, quâ bellum in Jtaliam à nobilibus accerſitum eſſe jactabat, quod nunquam reſtinguendum eſſet, ſi Reſpublica plures Fabios Jmperatores haberet, ſe vero ipſum illud profligaturum, ſeu ad finem deducturum quo primùm die hoſtem videret. Quod cum Fabius cognoviſſet- Paulum Æmilium ad ſe vocat, quem in hanc ſententiam de Collegæ temeritate rationeque hoſtem aggrediendi allocutus eſt.*

Si

SI aut collegam ( id quod mallem ) tui similem L. Æmili haberes, aut tu collegæ tui similis esses, supervacanea esset oratio mea. Nam & duo boni consules etiam me tacente omnia è Republica fide vestra faceretis : & mali, nec mea verba auribus vestris, nec consilia animis reciperetis Nunc & collegam tuum, & te talem virum intuenti mihi, tecum omnis oratio est : quem video nequiquam & virum bonum, & civem fore, si ( 1. ) altera parte claudicet Respublica. malis consiliis idem ac bonis juris & potestatis erit. Erras enim L. Paulle, si tibi minus certaminis cum C. Terentio, quàm cum Annibale futurum censes ; nescio an infestior hic adversarius, quàm ille hostis maneat, cum illo in acie tantum, cum hoc omnibus

(1) *Si alter Consul improbus sit. Quia qui mala consilia adferet, par jus, paremque potestatem habebit, ac tu Paule bona afferens consilia.*



bus locis ac temporibus certaturus es, & adversum Annibalem legionesque ejus, tuis equitibus ac peditibus pugnandum tibi est : Varro dux tuis militibus te est oppugnaturus. ( 2. ) Ominis etiam tibi causa absit C. Flaminii memoria, tamen ille consul demum, & in provincia, & ad exercitum cæpit furere : hic prius quàm peteret consulatum, deinde in petendo consulatu : nunc quoq; consul, prius quàm castra videat, aut hostem, insanit; & qui tantas jam nunc procellas, prælia atque acies jactando inter togatos ciet, quid inter armatam juventutem censes facturum ? & ubi extemplò verba res sequitur ? Atqui si híc, quód facturum se denuntiat, extemplò pugnaverit : aut ego rem militarem, belli

(2) *Nolim quidem tibi occurrere memoriam C. Flamminii Consulis ( qui ad Trasimenum Lacum victus ab Annibale, ibique occisus fuit ) ne malo sit omini.*

belli hoc genus, hostem hunc ignoro, aut nobilior alius Trasimenô locus nostris cladibus erit. (3.) Nec gloriandi tempus adversus unum est: & ego contemnendo potius, quàm appetendo gloriam modum excesserim. Sed ita res habet. Una ratio belli gerendi adversus Annibalem est, quâ ego gessi. Nec eventus modó hoc docet: stultorum iste magister est: sed eadem ratio quæ fuit, futuraque, donec eædem res manebunt, immutabilis est. In Italia bellum gerimus, in sede ac solo nostro. Omnia circa plena civium ac sociorum sunt, armis, viris, equis, commeatibus juvant, juvabuntqne: id jam fidei documentum in adversis rebus nostris dederunt. Meliores, prudentiores, constantiores nos tempus diesq; facit. Annibal contrà, in alie-

(3) *Adversus Minutium Migistrum Equitum Fabii M:, qui temerè invectus in Annibalem, Fabii ope servatus fuit.*



liena, in hostili est terra, inter omnia inimica infestaque: procul à domo, procul à patria. Neque illi terrá, neque mari est pax: nullæ eum urbes accipiunt, nulla mœnia: nihil usquam sui videt, in diem raptò vivit, partem vix tertiam exercitus ejus habet, quem Iberum amnem traiecit. Plures fames, quàm ferrum absumpsit: nec his paucis jam victum suppeditat. Dubitas ergo quin eum sedendo superaturi simus, qui senescat indies? non commeatus, non supplementum, non pecuniam habeat? Quàm diu pro Gerionis, castelli Apuliæ inopis, tanquam pro Carthaginis mœnibus pugnatum est? Sed ne (4.) adversus te quidem ego gloriabor. Cn. Servilius, atque Attilius proximi consules, vide quemadmodum eum ludificati sint. Hæc una salutis est via, L. Paulle, quàm difficilem infesta-



(4) *Neque ego apud te gloriabor.*

festamq; cives sibi magis quàm hostes facient. idem enim tui, quod hostium milites, volent: idem Varro consul Romanus quod Annibal Pœnus imperator, cupiet. Duobus ducibus unus resistas oportet: resistes autem, adversus famam rumoresque hominum, si satis firmus steteris: si te neque collegæ vana gloria, neq; tua falsa infamia moverit. A veritate laborare nimis jus sæpe ajunt, extingui nunquam. Gloriam qui spreverit, veram habebit. Sine timidum pro cauto, tardum pro considerato, imbellem pro perito belli vocent. Malo te sapiens hostis metuat, quàm stulti cives laudent. Omnia audentem contemnet Annibal: nil temerè agentem metuet. Nec ego, ut nihil agatur moneo, sed ut agentem te ratio ducat, non fortuna, tuæ potestatis semper, tuaque omnia sint. Armatus intentusque sis, neq; occasioni tuæ desis, neque suam occasionem


onem hosti des. Omnia non properanti clara, certaque erunt festinatio improvida est, & cæca.

# ORATIO

Captivorum Romanorum Cannensi clade ad Patres ex *lib*: 22. *Cap*: 59 *Liv*:

## ARGUMENTUM.

*Cannensi clade, cum mortuô Paulô Æmiliô Consule, Varro Collega Venusiam cum quinquaginta Equitibus profugisset, binis in Castris inermis multitudo quæ superfuerat pugnæ, sine Ducibus erat. Itaque eos qui in minoribus erant castris P. Sempronius Tuditanus monet, ut nocte dum hostis gravi somno detinetur ad majora castra transirent, Canusium inde sine mora uno agmine abituri. Cæteris ire nolentibus Sempronius cum sexcentis ad majora Castra pervasit, atque inde protinus alio magno agmine adjuncto Canusium*

*ſium incolumis pervenit. Reliqui in poteſtatem hoſtium ſimul cum Caſtris venerunt. Ex iis decem pauló poſt jure jurando adigit Annibal, ſi miſſi Romam non redimerentur ad ſe redirent. Ita adactos Romam mittit, ut aurum in redemptionem ſuam impetrarent. Propoſitum autem fuit pretium in Capita; Equiti quingenti quadraginta nummi, pediti trecenti, ſervo centum. Cum iis Senatus datus eſſet, M. Junius ita Cauſam apud Patres egit.*

NEmo veſtrûm ignorat, nulli unquam civitati viliores fuiſſe captivos, quàm noſtræ. Cæterùm niſi nobis plus juſtó noſtra placet cauſa, non alii unquam minus negligendi vobis, quàm nos, qui in hoſtium poteſtatem venerunt. Non enim in acie per timorem arma tradidimus, ſed cùm propè ad noctem ſuperſtantes, cumulis cæſorum corporum prœlium extraxiſſemus, in caſtra recepimus nos. Diei reliquum, ac noctem inſequentem feſſi labore, ac vulneribus, vallum ſumus tutati. Poſtero die cùm circumſeſſi ab exercitu victore aqua arceremur, nec ulla alia jam per confertos hoſtes erumpendi ſpes eſſet, nec eſſe nefas duceremus, quinquaginta millibus hominum ex acie noſtra trucidatis, aliquem ex Cannenſi pugna Romanum militem reſtare: tum demum pacti ſumus pretium quo redempti dimitteremur: arma, in quibus nihil jam auxilii erat, hoſti tradidimus. Majores noſtros quoque acceperamus ſe à (1.) Gallis auro redemiſſe: & patres Veſtros, aſperrimos illos ad conditionem pacis, legatos tamen captivorum redimendorum gratia (2.) Tarentum miſiſſe,



F 3 at-

(1) *Vide fol*: 28. & 29.

(2) *Tarentum Urbs ampla magnæ Græciæ in Provincia Calabriæ, quò miſſi erant præcipuæ dignitatis Legati ad Pyrrhum, P. Cornelius Dolabella, C. Fabricius Luſcinus, & Q. Æmilius Papus, de redimendis Captivis.*

atque in Italia cum Gallis, & (3.) ad Heracleam cum Pyrrho, utraque non tam clade infamis, quàm pavore & fuga, pugna fuit. Cannenſes campos acerui Romanorum corporum tegunt: nec ſuperſumus pugnæ, niſi in quibus trucidandis & ferrum & vires hoſtem defecerunt. Sunt etiam de noſtris quidam, qui nec in acie quidem refugerunt: ſed præſidio caſtris relicti, cum caſtra traderentur, in poteſtatem hoſtium venerunt. Haud equidem ullius civis, aut commilitonis fortunæ aut conditioni invideo, nec premendo alium me extuliſſe velim videri: ne illi quidem (niſi pernicitatis pedum, & curſus aliquod præmium eſt) qui plerique inermes ex acie fugientes non prius, quam, (4.) Venuſiæ aut (5.) Canuſii

(3) *Urbs in magna Græcia.*
(4) *Apuliæ Oppidum Horatii Poetæ Patria*
(5) *Caput olim Apuliæ habebatur Canuſium juxta Aufidum, bodie Canoſa.*



nuſii conſtiterunt, ſe nobis merito prætulerint: gloriatiq; ſint, in ſe plus quàm in nobis præſidii Reipub. eſſe. Sed illis & bonis ac fortibus militibus utemini: & nobis jam promptioribus pro patria, quod beneficio veſtro redempti, atq; in patriam reſtituti fuerimus. Delectum ex omni ætate & fortuna habetis: (6.) octo millia Servorum audio armari: non minor numerus noſter eſt, nec majori pretio redimi poſſumus, quàm hi emuntur: nam ſi conferam nos cum illis, injuriam nomini Romano faciam. Jllud etiam in tali conſilio animadvertendum vobis cenſeam P. C. (ſi tamen duriores eſſe velitis, quod nullo noſtro merito faciatis,) cui nos hoſti relicturi ſitis.

F 4 (7)

(6) *Dictator M. Junius ex ſententia Patrum, ob inopiam liberorum capitum, octo millia Juvenum validorum ex ſervitiis empta, publicè armaverat.*

(7.) Pyrrho videlicet ? qui nos hoſpitum numero habuit captivos : an barbaro, ac Pœno ? qui utrum avarior, an crudelior ſit, vix exiſtimari poteſt. Si videatis catenas, ſqualorem deformitatemque civium veſtrorum, non minus profectò vos ea ſpecies moveat, quàm ſi ex altera parte cernatis ſtratas Cannenſibus campis legiones ve-ſtras. Jntueri poteſtis ſolicitudinem& lacrymas in veſtibulo curiæ ſtantium cognatorum noſtrorum, exſpectantiumque reſponſum veſtrum : cùm ii pro nobis, proque iis qui abſunt, ita ſuſpenſi ac ſoliciti ſint, quem cenſetis animum ipſorum eſſe, quorum in diſcrimine vita libertaſq; eſt ? Si medius fidius ipſe in nos mitis Annibal contra naturam ſuam eſſe velit, nihil tamen nobis vita opus eſſe

(7) *Pyrrhus enim Rex Epiri, Romanos captivos ut teſtis eſt Dio, humaniter clementerque habuit,& vinculorum & omnis contumeliæ expertes.*



ſe cenſeamus, cùm indigni ut à vobis redimeremur, viſi ſumus. Rediére Romam quondam remiſſi à Pyrrho ſine pretio capti : ſed rediêre cum legatis, primoribus civitatis ad redimendos ſeſe miſſis. Redeam ego in patriam trecentis nummis non æſtimatus civis ? Suum quiſq; habet animum P. C. ſcio in diſcrimine eſſe vitam corpusq; meum. Magis me famæ periculum movet, ne à vobis damnati ac repulſi habeamur. Neque enim vos pretio pepercisse homines credent.

# ORATIO

T. Manlii Torquati ne Captivi redimerentur ex *lib*: 22. *Cap*: 60. *Liv*:

## ARGUMENTUM.

*Poſteaquam Captivi dicendi finem fecerunt, extemplo ab ea turba quæ in veſtibulo Curiæ ſtabat, clamor flebilis ſublatus*

*tus est, orabantque ut sibi liberos, fratres, Cognatos redderent Patres. Tum Senatus ea dere haberi cæptus. Ibi cum alii Captivos redimendos de publico, alii de privato, alli ex ærario dandam pecuniam mutuam censerent, T. Manlius Torquatus rogatus sententiam, unus nullo pacto redimendos esse ita suasit.*

SI tantum modò postulassent legati pro iis qui in hostium potestate sunt, ut redimerentur, sine ullius infectatione eorum, brevi sententiam peregissem. Quid enim aliud quàm admonendi essetis, ut morem traditum à patribus necessariò ad rem militarem exemplo servaretis? nunc autem cùm propè gloriati sint, quòd se hostibus dediderint, præferriq non captis modò in acie ab hostibus, sed etiam iis qui Venusiam Cannusiumq; pervenerunt, atq; ipsi (1.) C.

(1) *Qui ex pugna Cannensi cum quinquaginta Equitibus Venusiam profugit.*



C. Terentio *Cos.* æquum censuerint: nihil vos eorum P. C. quæ illic acta sunt, ignorare patiar. Atq; utinam hæc quæ apud vos acturus sum, Cannusii apud ipsum exercitum agerem, optimum testem ignaviæ cujusq; & virtutis: aut unus hic saltem adesset (2.) P. Sempronius, quem si isti ducem secuti essent milites, hodie in castris Romanis, non captivi in hostium potestate essent. Sed cum fessis pugnando hostibus, tum victoria lætis, & ipsis plerisque regressis in castra sua, noctem ad erumpendum liberam habuissent, & septena armatorum hominum millia erumpere etiam inter confertos hostes potuissent, neque per se ipsi id facere conati sunt, neque alium sequi voluerunt. Nocte propè tota P. Sempronius Tuditanus non destitit admonere, adhortariq; eos, dum paucitas hostium circa castra, dum

 quies

(2) *Tribunus Militum.*

quies ac ſilentium eſſet , dum nox incœptum tegeret , ſe ducem ſequerentur : ante lucem pervenire in tuta loca , in ſociorum urbes poſſe. Sicut avorum memoria ( 3. ) P. Decius Trib. militum in Samnio , ſicut nobis adoleſcentibus priori Punico bello ( 4. ) Calpurnius Flamma trecentis voluntariis , cùm ad tumulum eos capiendum , ſitum inter medios hoſtes , duceret , dixit , Moriamur milites,

(3) *Aulus Cornelius Conſul , exercitum incaute in ſaltum quendam , propè Saticulam Urbem Campaniæ, circaque inſeſſum ab Samnitibus induxit. P. Decius conſpiciens editum in ſaltu collem imminentem hoſtium Caſtris , in eum cum Principibus, Haſtatisque, unius legionis à Conſule acceptis evaſit , cumque hoſtium in ſe vertiſſet oculos , ſpatium Conſuli dedit, ad ſubducendum agmen in æquiorem locum.*

(4) *Tribunus Militum , Aulum Attilium Conſulem , exercitumque ejus à Pœnis circumſeſſum , virtute ſua liberavit.*



lites , & morte noſtra eripiamus ex obſidione circumventas legiones. Si hoc P. Sempronius diceret : nec viros quidem , nec Romanos vos duceret. ſi nemo tantæ virtutis exſtitiſſet comes. Viam non ad gloriam magis quàm ad ſalutem ferentem demonſtrat : ducem ſe in patriam , ad conjuges ac liberos ſaparentes , ad conjuges ac liberos facit : ut ſervemini , deeſt vobis animus. Quid , ſi moriendum pro patria eſſet , faceretis ? Quinquaginta millia civium ſociorumq; circa vos eo ipſo die cæſa jacent : ſi tot exempla vrrtutis non movent , nihil unquam movebit : ſi tanta clades vobis vilem vitam non fecit , nulla faciet. Liberi atque incolumes deſiderate patriam : imò deſiderate , dum patria eſt , dum cives ejus eſtis. Serò nunc deſideratis ( 5. ) deminuti capi-

(5) *Ut ſtatus Civium Romanorum triplex libertatis , Civitatis , & Familiæ , ita triplex Capitis diminutio erat. maxima , cum*

capite, abalienati jure civium, servi Carthaginiensium facti. Pretio redituri estis (6.) eò, unde ignavia ac nequitia abistis? Publium Sempronium civem vestrum non audistis, arma capere, ac se jubentem sequi: Annibalem paulò post audistis, castra prodi, & arma tradi jubentem. Quam ego ignaviam istorum accuso, cùm scelus possim accusare? non enim modo sequi recusarunt bene monentem, sed subsistere ac retinere conati sunt, ni strictis gladiis viri fortissimi inertes summovissent. Prius, inquam, Publio Sempronio per civium agmen, quàm per hostium fuit erumpendum. Hos cives patria desi-

de-

*cum servi fierent captivitate, aliove modo, minor sive media cum Civium jure spoliarentur, ut deportatione, seu exilio, minima, cum jus Familiæ amitterent, veluti Patres familias adoptione, sive adrogatione, Filii familias emancipatione.*

(6) *Eo, nimirum ad libertatem & Civium jus.*



deret? quorum si ceteri similes fuissent, neminem hodie ex iis qui ad Cannas pugnaverunt, civem haberet. Ex millibus septem armatorum sexcenti extiterunt, qui erumpere auderent, qui in patriam liberi atque armati redirent. Neque iis quadraginta millia hostium obstitere. Quàm tutum iter duarum propè legionum agmini futurum censetis fuisse? Haberetis hodie viginti millia armatorum Cannusii, fortia, fidelia, P. C. Nunc autem quemadmodum hi boni: fidelesque (nam fortes ne ipsi quidem dixerint) cives esse possunt? nisi quis credere potest fuisse, ut (7.)

erum-

(7) *Ut, hoc loco sumitur pro cum, sive quando. Quasi dicat ironice Manlius, eo ipso tunc fideles Cives fuisse, cum obsisterent erumpere volentibus, quasi periculum eorum formidantes, aut in posterum fideles bonosque Cives fore, cum non possint invidia carere in eos, quorum fortitudo ignaviam ipsis suam, ac dedecus continuo est exprobratura.*

erumpentibus quin erumperent, obsistere conati sunt: aut non inuidere eos cùm incolumitati, tum gloriæ illorum per virtutem partæ, cum sibi timorem ignaviamq; servitutis ignominiosæ causam esse sciant. Maluerunt in tentoriis latentes simul lucem atq; hostem exspectare, cum silentio noctis erumpendi occasio esset. At enim ad erumpendum è castris defuit animus, ad tutanda foriter castra animum habuerunt. Dies noctesque aliquot obsessi, armati se ipsi tutati vallo sunt: tandem ultima ausi passique, cùm omnia subsidia vitæ deessent, affectisq; fame viribus, arma jam sustinere nequirent, necessitatibus magis humanis quàm armis victi sunt. Orto sole hostis ad vallum accessit, ante secundam horam nullam fortunam certaminis experti, tradiderunt arma ac seipsos. Hæc vobis ipsorum per biduum militia fuit.



fuit. Cum in acie stare ac pugnare decuerat, tum in castra refugerunt: cùm pro vallo pugnandum erat, castra tradiderunt, neq; in acie, neq; in castris utiles. Vos redimam? cùm erumpere castris oportet, cunctamini ac manetis, cùm manere & castra tutari armis necesse est, & castra & arma, & vos ipsos, traditis hosti. Ego non magis istos redimendos P. C. censeo, quàm illos dedendos Annibali, qui per medios hostes è castris eruperunt, ac per summam virtutem se patriæ restituerunt.

# ORATIO

Hannonis Himilioni respondentis ex *lib*: 23. *Cap*: 12.

## ARGUMENTUM.

*Mago Amilcaris filius, Carthaginem profectus, Senatu dato, quæ ad Cannas gesta erant, expositis, ob victoriam diis*

*diis Sacrum, auctoritate Annibalis*, haberi juſſerat. Himilco ex hoc tam læto nuntio nactus occaſionem Hannonis alterius factionis principis eludendi, & reprehendendi, ita eum adgreſſus eſt.* Quid eſt Hanno? etiam nunc pænitet belli ſuſcepti adverſus Romanos? Jube dedi Annibalem: veta in tam proſperis rebus grates diis immortalibus agi: audiamus Romanum Senatorem in Carthaginenſium curia. *Ad quæ Hanno ita reſpondet.*

TAcuiſſem hodie, Patres conſcripti, ne quid in communi omnium gaudio, minus lœtum quod eſſet vobis loquerer. nunc interroganti ſenatori, pœniteatne me adhuc ſuſcepti adverſus Rom. belli? ſi reticeam, aut ſuperbus aut obnoxius videar. Quorum alterum eſt hominis alienæ libertatis obliti, alterum ſuæ. Reſpondeam igitur Himilconi, non deſiſſe pœnitere me belli, ne-



neque deſiturum ante invictum noſtrum imperatorem incuſare, quam finitum aliqua tolerabili conditione bellum videro: nec mihi pacis antiquæ deſiderium ulla alia res quàm pax nova finiet. Itaque iſta quæ modo Mago jactavit, Himilconi cæteriſque Annibalis ſatellitibus jam læta ſunt. mihi poſſunt læta eſſe, quia res bello bene geſtæ, ſi volumus fortuna vti, pacem nobis æquiorem dabunt. Nam ſi prætermittimus hoc tempus, quo magis dare quàm accipere poſſumus videri pacem, vereor ne hæc quoque lætitia luxuriet nobis, ac vana evadat. Quæ tamen nunc quoque qualis eſt? Occidi exercitus hoſtium: mittite milites mihi. Quid aliud rogares, ſi eſſes victus? Hoſtium cepi bina caſtra, prædæ videlicet plena: & commeatuum; frumentum, & pecuniam date. Quid aliud, inquam, ſi ſpoliatus, ſi exutus caſtris eſſes, peteres? Et ne o-

mnia

mnia ipſe mirer : ( mihi quoque enim , quoniam reſpondi Himilconi , interrogare jus faſque eſt ) velim ſeu Himilco , ſeu Mago reſpondeat : cùm ad internecionem Rom. imperii pugnatum ad Cannas ſit , conſtetq; in defectione totam Italiam eſſe , primùm ecquis Latini nominis populus defecerit ad nos ? deinde ecquis homo ex *v.* & *xxx.* tribubus ad Annibalem trasfugerit ? *Cum utrumque Mago negaſſet :* Hoſtium quidem ergo , *inquit* , adhuc multum supereſt , ſed multitudo ea quid animorum , quidve ſpei habeat , ſcire velim. *Cùm* , id neſcire ſe , *Mago diceret :* Nihil facilius ſcitu eſt , *inquit* , ecquos legatos ad Annibalem Rom. miſerunt de pace ? ecquam denique mentionem pacis Romæ factam eſſe allatum ad vos eſt ? *Cùm id quoque negaſſet :* Bellum igitur , *inquit* , tam integrum habemus , quam habuimus , qua die Annibal in Italiam



am eſt ingreſſus. Quàm varia victoria priore Punico bello fuerit , plerique qui meminerimus , ſuperſumus. Numquam terra mariq; magis proſperæ res noſtræ viſæ ſunt , quàm antè conſules C. Lutatium & A. Poſtumium fuerunt. Lutatio & Poſtumio *Coss.* devicti ad ( 1. ) Ægates inſulas ſumus. Quod ſi ( id quod dii , omen avertant ) nunc quoque fortuna aliquid variaverit , tum pacem ſperatis cùm vincemur : quam nunc , cùm vincimus , dat nemo ? Ego , ſi quis de pace conſulet , ſeu deferenda hoſtibus , ſeu accipienda , habeo quid ſententiæ dicam , ſi de iis quæ Mago poſtulat , refertis , nec victorib. mitti attinere puto , & fruſtrantibus nos falſa atque inani victoria , multo minus cenſeo mittenda eſſe.

ORA-

(1) *Vide fol:* 90.

# ORATIO

## Fabii Maximi ad populum de deligendo Jmperatore ex *lib: 24. Cap. 7. Liv:*

## ARGUMENTUM.

*Fabius sub finem Anni Romam rediens, Comitia Consularia edixerat, quibus prærogativæ juniorum T. Otacilium (qui ejusdem Fabii sororis filiam habebat uxorem,) & M. Æmilium Regillum Consules dixerunt. Quod ubi Fabius intellexit, hac concione suadebat, nec Otacilio rerum & Jmperii summam deferendam esse, nec Consulem eum habendum: Videndum autem cui bellum mandari posset adversus Annibalem.*

SI aut pacem in Jtalia aut bellum cum eo hoste haberemus, in quo negligentiæ aut errori locus esset: qui vestris studiis, quæ in campum ad mandandos, quibus velitis honores



res affertis, moram ullam offerret, is, mihi parum meminisse videretur vestræ libertatis: sed cùm in hoc bello in hoc hoste numquam ab ullo duce sine ingenti nostra clade erratum sit: eadem vos cura, qua in aciem armati descenditis, inire suffragium ad creandos *Coss.* decet, & sibi sic quemque dicere, Annibali imperatori parem consulem nomino. Hoc anno ad Capuam (1.) Iubellio Taureæ Campano summo equiti provocanti, summus Romanus eques Asellus Claudius oppositus. Adversus Gallum quondam provocantem in ponte Anienis, (2.) Manlium fidentem & animo & viribus misêre majores nostri. Ob ean-

(1) *Bello inter Campanos & Romanos durante, Jubellius Taurea Juvenis Campanus, ad certamen Asellum nobilem Romanum provocaverat, sed hi diu inter se ludificantes, pugnam sine vulnere absolverunt.*

(2) *Titus Manlius L. Manlii Filius, qui Patrem à Tribunitia vexatione liberave-*

eandem causam haud multis annis post fuisse non negaverim, cur M. (3.) Valerio non diffideretur, adversus similiter provocantem arma capienti Gallum ad certamen. Quemadmodum pedites equitesque optamus ut validiores, si minus, ut pares hosti habeamus: ita duci hostium parem imperatorem quæramus. Cùm qui est summus in civitate dux, eum legerimus: tamen repentè lectus, in annum creatus adversus veterem ac perpetuum imperatorem comparabitur, nullis neq; temporis nq; juris inclusum angustiis, quo minus ita omnia gerat, administretque, ut tempora postula-

*rat, provocantem se Gallum in Ponte Anienis (Fluvii Sabinorum) annuente T. Quintio Pæno Dictatore, occidit & torque spoliavit.*

(3) *Is adversus Gallum magnitudine insignem, deposcentem singulare certamen processit, auxilioque Corvi qui in ejus galea consederat, obtruncavit.*



stulabunt belli: nobis autem in apparatu ipso, ac tantùm inchoantibus res, annus circum agitur. Quoniam quales viros creare vos consules deceat, satis est dictum: restat ut pauca de eis, in quos (4.) prærogativæ favor inclinavit, dicam. M. Æmilius Regillus (5.) flamen est Quirinalis, quem neque mittere à sacris, neque retinere possumus, ut non Deûm, aut belli deseramus curam. Otacilius sororis meæ filiam uxorem, atque ex ea liberos habet. Cæterùm non (6.) ea vestra in me, majoresque meos merita sunt, ut non potiorem privatis necessitudinibus Rempublicam habeam. Quilibet nautarum vectorumque tranquillo mari guberna-

G

(4) *Id est Tribus. Tribus autem prærogativa dicebatur, cui sors exierat, ut prima in suffragium iret, eadem ratione dicebatur & Centuria prærogativa.*

(5) *vide fol: 35.*

(6) *Non tam exigua sunt beneficia, quæ vos in me, ac Majores meos contulistis.*

bernare potest : ubi sæva orta tempestas est, ac turbato mari rapitur vento navis, tum viro & gubernatore opus est. Non tranquillo navigamus : sed jam aliquot procellis submersi penè sumus. Jtaque quis ad gubernacula sedeat, summa cura providendum, ac præcavendum nobis est. In minore re experti T. Otacili operam tuam sumus, haud sanè, cur ad majora tibi fidamus, documenti quidquam dedisti. Classem hoc anno, cui tu præfuisti, trium rerum causa paravimus : ut Africæ oram popularetur : ut tuta nobis Italiæ littora essent : ante omnia, ne supplementum cum stipendio commeatuq; ab Carthagine Annibali transportaretur. Create Consulem T. Otacilium : non dico si omnia hæc, sed si aliquid eorum Reipublicæ præstitit. Sin autem te classem obtinente, etiam velut pacato mari quælibet Annibali tuta atq; integra ab domo



venerunt : si ora Italiæ infestior hoc anno, quàm Africæ fuit : quid dicere potes, cur te potissimum ducem Annibali hosti opponamus? Si consul esses, dictatorem dicendum exemplò majorum nostrorum censeremus. Nec tu id indignari posses : aliquem in civitate Romana meliorem bello haberi, quam te. Magis nullius interest, quàm tua T. Otacili : non imponi cervicibus tuis onus, sub quo concidas. Ego magnopere suadeo : eodem animo : quo, si stantibus vobis in aciem armatis repentè deligendi duo imperatores essent, quorum ductu atq; auspicio dimicaretis, hodie quoq; consules creetis : quibus sacramento liberi nostri dicant : ad quorum edictum conveniant : sub quorum tutela atq; cura militent. Lacus (7.) Trasymenus,



(7) *Hodie à Perusia Pontificii Dominii Urbe, Perusinus appellatur, ad quem Consul Flaminius ab Annibale victus erat.*

nus, & (8.) Cannæ, tristia ad recordationem exempla: at ad præcavendum simile, utiles documento sunt. Præco (9.) Aniensem Juniorum, in suffragium revoca.

# ORATIO

Relegatorum Militum ad Marcellum de mutatione conditionis ex *lib: 25: Cap: 6. Liv:*

## ARGUMENTUM.

*Milites eos qui Cannensi cladi superfuerant, Senatus in Siciliam ad militandum,*

(8) *Vicus in Apulia, nobilis clade Romanorum; ibi enim dicuntur quadraginta millia peditum, & bis mille septingenti Equites cum P. Æmilio Consule, multisque aliis Consularibus cæsa.*

(9) *Subintelligitur Tribum, quæ ab Aniene Fluvio Aniensis dicta, nnmero erat trigesima secunda, Prioribus Tribubus addita; quatercentesimo quinquagesimo quarto, anno.*



*dum, quo ad Punicum bellum finitum esset non redituros Romam relegaverat. Ji dum P. Lentulo militant, ab eo impetrant, ut primores Equitum Centurionumque in Hiberna ad M. Marcellum mitterentur, qui de conditione atque fortuna sua conquererentur. Ex iis unus potestate dicendi facta, ita causam egit.*

Consulem, te M. Marcelle in Italiam adissemus, cùm primùm de nobis, etsi non iniquum, certè (1.) triste senatusconsultum factum est: nisi hoc sperassemus, in provinciam nos morte (2.) regum turbatam, ad grave bellum adversus Siculos simul Pœnosq; mitti: & sanguine nostro vulneribusq; nos patriæ satis-



(1) *Ut ii omnes qui ad Cannas fugissent, non (priusquam pulsus Jtalia Pænus esset,) stipendia finirent.*

(2) *Hieronis Sycilia Tyranni, & Hieronimi qui Regno successit, moxque à suis occisus fuit.*

satisfacturos esse: sicut patrum memoria qui capti à (3.) Pyrrho ad Heracleam erant, adversus Pyrrhum ipsum pugnantes satisfecerunt. Quanquam quod ob meritum nostrum succensuistis Patres conscripti nobis, aut succensetis? Ambos mihi consules, & universum senatum intueri videor, cùm te M. Marcelle intueor: quem si ad Cannas consulem habuissemus, melior & Reipublicæ & nostra fortuna esset. Sine quæso priusquam de conditione nostra queror, noxam cujus arguimur, nos purgare. Si non deûm ira nec fato, cujus lege immobilis rerum humanarum ordo seritur, sed culpa periimus ad Cannas, cujus tandem ea culpa fuit? militum, an imperatorum? Equidem miles nihil umquam dicam de (4.) imperatore meo, cui præser-

(3) *Prima hæc Romanorum fuerat pugna cum Pyrrho, P. Valerio Levino Consule, ad Heracleam Urbem Græciæ.*

(4) *Terentio Varrone, qui finito Consulatu, in Apulia Pro Consule bellum gerebat*



sertim gratias sciam ab senatu actas, quòd non desperaverit de Republica, cui post fugam actam sit per omnes annos prorogatum imperium. Cæteros item ex reliquiis cladis ejus, quos tribunos militum habuimus, honores petere & gerere, provincias obtinere audivimus. An vobis vestrisq; liberis ignoscitis facilè Patres conscripti, in hæc vilia capita sævitis? & consuli primoribusque aliis civitatis fugere, cùm spes alia nulla esset, turpe non fuit, milites utique morituros in aciem misistis? Ad (5.) Alliam propè omnis exercitus fugit: ad (6.) Furcas Caudinas ne expertus quidem certamen, arma tradidit hosti (ut alias pudendas clades exercituum taceam) tamen tantum abfuit ab eo, ut ulla ignominia iis exerciti-



(5) *Vide superius.* 29.

(6) *Vide superius.* 70.

citibus (7.) quæreretur, ut & urbs Roma per eum exercitum, qui ab Allia Vejos transfugerat, recuperaretur, & Caudinæ legiones quæ ſine armis redierant Romam, armatæ remiſſæ in Samnium, eundem illum hoſtem ſub jugum miſerint, qui hac ſua ignominia lætatus fuerat. Cannenſem verò quiſquam exercitum fugæ, aut pavoris inſimulare poteſt? ubi plus quinquaginta millia hominum ceciderunt? unde conſul (8.) cum equitibus quinquaginta fugit? unde nemo ſupereſt, niſi quem hoſtis cædendo feſſus reliquit? Cum (9.) captivis redemptio negabatur, nos vulgò homines laudabant, quòd Reipublicæ nos ſervaſſemus: quod ad conſulem Venuſiam rediſſemus, & ſpeciem juſti exercitus feciſſemus.

Nunc

(7) *Jdem quod inureretur*
(8) *Terentius Varro.*
(9) *Jis qui ad Cannas capti erant. Vide ſupra. fol: 123.*



Nunc deteriore conditione ſumus, quàm apud patres noſtros fuerant captivi. Quippe illis arma tantum atque (10.) ordo militandi, locuſque in quo tenderent, in caſtris eſt mutatus: quæ tamen ſemel navata Reipublicæ opera, & uno felici prælio recuperârunt. Nemo eorum relegatus in exilium eſt: nemini ſpes (11.) emerendi ſtipendia adempta, hoſtis denique eſt datus, cum quo dimicantes, aut vitam ſemel, aut ignominiam finirent. Nos, quibus, niſi quod commiſimus, ut quiſquam ex Cannenſi acie miles Romanus ſupereſſet, nihil objici poteſt: non ſolùm à patria procul

G 5 Jta-

(10) *Vt qui equo meruiſſent peditum ſtipendia mererent qui pedites legionarii eſſent, ad levem armaturam transcriberentur.*
(11) *Debebant autem pedites ſexdecem Annis, equites decem militare, priusquam ſtipendia emererentur. Hi vero ex Senatûs conſulto, tam diu militare debebant, donec hoſtis in Jtalia eſſet.*

Jtaliaque, ſed ab hoſte etiam relegati ſumus: ubi ſeneſcamus in exilio, ne qua ſpes, ne qua occaſio abolendæ ignominiæ, nequa placandæ civium iræ, nequa deniq; bene moriendi ſit. Neque ignominiæ finem, nec virtutis præmium petimus: modò experiri animum & virtutem exercere liceat. Laborem & periculum petimus, ut virorum, ut militum officio fungamur. Bellum in Sicilia jam alterum annum ingenti dimicatione geritur, urbes alias Pœnus, alias Romanus expugnat: peditum & equitum acies concurrunt: ad Syracuſas terra mariq; res geritur. Clamorem pugnantium, crepitumq; armorum exaudimus reſides ipſi ac ſegnes, tanquam nec manus, nec arma habeamus. Servorum legionibus (21.) T.

(12) *Poſt pugnam Cannenſem octo millia ſervorum armaverant Romani, eorum opera egregia cum ſemper uſus fuiſſet Tiberius Sempronius, de ſententia Senatûs liberos eos declaravit.*



T. Sempronius *Cos.* toties jam cum hoſte ſignis collatis pugnavit: operæ pretium habent, libertatem, civitatemq; pro ſervis ſaltem ad hoc bellum emptis vobis ſimus, congredi cum hoſte liceat, & pugnando quærere libertatem. Vis tu mari, vis terra, vis acie, vis Urbibus oppugnandis experiri virtutem? aſperrima quæq; ad laborem periculumq; depoſcimus, ut quod ad Cannas faciundum fuit, quamprimum fiat. quoniam quicquid poſtea viximus, id omne deſtinatum ignominiæ eſt.

# ORATIO

## M. Marcii qua ſuos Milites adhortatur ex *lib.* 25. *Cap:* 38. *Liv:*

## ARGUMENTUM.

*L. Marcius Eques Romanus erat, ſub Cn: Scipionis diſciplina multis Annis edoctus, adquem cæſis duobus Scipionibus*

 *Mili-*

*Milites sine Duce, Imperii summam detulerant. Is Asdrubalem venire, ad delendas exercitus Romani reliquias cum audiret, Milites alios Scipionum mortem deplorantes increpans, quod non aliter, quam mulierum ritu flerent, ita inflammavit, ut armis sumptis in hostem incomposite pro fiducia venientem, velut rabie accensi incurrerent. Ac eo ipso concursu, jam eorum impressiones atque impetus hostis non sustinens fuga elabebatur, cum Marcius suos insequentes remoratur, dato signo receptui. Hostes hac fuga nihilo diligentiores intentioresque, reliquias tantum duorum exercituum deletorum rati, nec stationes in castris habebant, nec vigiliarum ordines. Quæ ubi Marcio explorata fuerunt, tum demum init Consilium noctu in castra hostium irrumpendi, vocataque concione, ita Militum animos præparavit.*

VEl mea erga (1.) imperatores nostros vivos mortuosque pietas, vel

(1) *Publium, & Cnejum Scipiones.*



vel præsens omnium nostrûm, milites, fortuna fidem cuivis facere potest, mihi hoc imperium, ut amplum judicio vestro, ita re ipsa grave ac sollicitum esse. Quo enim tempore, nisi metus mœrorem obstupefaceret, vix ita compos mei essem, ut aliqua solatia invenire ægro animo possem; cogor vestram omnium vicem (quod difficillimum in luctu est) unus consulere. & ne tum quidem ubi quonam modo has reliquias duorum exercituum patriæ conservare possim, cogitandum est: avertere animum ab assiduo mœrore libet. Præsto est enim acerba memoria: & Scipiones me ambo dies noctesque curis insomniisq; agitant, & excitant sæpe somno, neu se, neu invictos per octo annos in iis terris milites suos, commilitones vestros, neu Remp. patiar inultam: & suam disciplinam suaq; instituta sequi jubent. Et ut imperiis vivorum nemo obedientior me uno fuerit, ita post

post mortem suam, quod quaque in re facturos illos fuisse maximè censeam, id optimum ducere vos quoque velim milites; non lamentis lacrymisq; tanquam extinctos prosequi, (vivunt enim vigentq; fama rerum gestarum) sed quotiescunq; occurret memoria illorum, velut si adhortantes signumq; dantes videatis eos, ita prælia inire. Nec alia profecto species hesterno die oculis animisq; vestris oblata, memorabile illud edidit prœlium: quo documentum dedistis hostibus, non cum Scipionibus extinctum esse nomen Romanum: & cuius populi vis atque virtus non obruta sit Cannensi clade, ex omni profectò sævitia fortunæ emersuram esse. Nunc, qui tantum ausi estis sponte vestra, experiri libet quantum audeatis duce vestro auctore, non enim hesterno die cum signum receptui dedi, sequentibus effusè vobis turbatum hostem, frangere audaciam vestram, sed differre in ma-
jorem


jorem gloriam atque opportunitatem volui: ut postmodum præparati incautos, armati inermes, atque etiam sopitos, per occasionem aggredi possetis. Nec hujus occasionis spem milites fortè temerè, sed ex re ipsa conceptam habeo. A vobis quoq; profectò si quis quærat, quonam modo pauci à multis, victi à victoribus castra tutati sitis: nihil aliud respondeatis, quàm idipsum, timentes vos, omnia & (2.) operibus firmata habuisse, & ipsos paratos instructosq; fuisse. Et ita se res habet (3) ad id, quod ne timeatur for-

(2) *Vallo & fossa. Vallum autem constabat ex aggere & sudibus, quæ superne erant acuta, & in ramos divisæ, ac Valli masculino genere dicebantur. Vallum erat altum plerumque pedes tres vel quatuor, fossa plerumque novem pedes alta, & duodecem lata.*

(3) *Parum providi homines, & sic parum securi sunt, adversùs ea, quorum metum fortuna ipsorum præsens avertit, quoniam cavere ac tegere nemo solet, quod contemnit.*

fortuna facit, minimè tuti ſunt homines: quia quod neglexeris, incautum atq; apertum habeas. Nihil omnium nunc minus metuunt hoſtes, quàm ne obſeſſi modò ipſi atque oppugnati, caſtra ſua ultro oppugnemus. Audeamus, quod credi non poteſt auſuros nos: eo ipſo, quod difficillimum videtur, facillimum erit, (4) Tertia vigilia noctis ſilenti agmine ducam vos. Exploratum habeo, non vigiliarum ordinem, non ſtationes juſtas eſſe. Clamor in portis auditus, & primus impetus caſtra ceperit, tum inter torpidos ſomno, paventesq; ad nec opinatum tumultum, & inermes in cubilibus ſuis oppreſſos illa cædes edatur, à qua vos heſterno die revoca-

(4) *Vigiliæ Militares quatuor erant, prima, ſecunda, tertia, & quarta. Singulæ tribus horis conſtabant. Noctes enim in duodecem horas dividebantur, quæ æſtivo tempore breviores hiemali longiores erant.*



catos ægrè ferebatis. Scio audax videri conſilium: ſed in rebus aſperis & tenuibus fortiſſima quæq; conſilia tutiſſima ſunt: quia ſi in occaſionis momento, cuius prætervolat opportunitas, cunctatus paulùm fueris, nequiquam mox omiſſam quæras. Unus exercitus in propinquo eſt: duo haud procul abſunt. Nunc aggredientibus par aliqua opportunitas eſt: & jam tentaſtis veſtras atq; illorum vires, ſi diem proferimus & (5.) heſternæ eruptionis fama contemni deſierimus, periculum eſt, ne omnes duces omnesq; copiæ conveniant. tres deinde duces, tres exercitus ſuſtinebimus hoſtium: quos Cn. Scipio incolumi exercitu non ſuſtinuit? Ut dividendo copias periêre duces noſtri, ita ſeparati ac diviſi opprimi poſſunt hoſtes. Alia belli geren-

(5) *Si emanaverit fama egregie & feliciter navatæ operæ noſtræ in eruptione heſterna, futurum, ut contemptu ceſſante, hoſtes rebus ſuis magis invigilent, omnesque copias conjungant.*

rendi via nulla eſt. Proinde nihil præter noctis proximæ opportunitatem expectemus. Ite diis bene juvantibus, corpora curate, ut integri vigenteſq; eodem animo in caſtra hoſtium irrumpatis, quo veſtra tutati eſtis.

# ORATIO

M. Marcelli ad PC. ſe adversùs Syracuſanos Oratores defendentis. ex *lib* 26. *Cap:* 31. *Liv:*

## ARGUMENTUM.

*Miſſi erant Romam à Syracuſanis Oratores, qui de injuriis illatis à Marcello cum Syrarcuſas cepit conquererentur. Intromiſſi in Senatum, inter alia etiam illud objiciebant, quod Syracuſas vi & armis, quam deditione capere maluiſſet: Principes ea cauſa ad ſe miſſos ſæpè averſatus, re infecta remiſiſſet: captam Urbem ſpoliaſſet: mœnia domoſque diruiſſet, fana Deûm diripuiſſet: bona ſingulis ademiſſet. De his quæſti Marcello præſente cum juſſi abirent, à Marcello revocati ſunt, quibus præſentibus ita ſe defendit.*



NOn adeò majeſtatis, populi Romani imperiiq; hujus oblitus ſum Patres conſcripti, ut ſi de meo crimine ambigeretur, conſul dicturus cauſam, accuſantibus Græcis, fuerim, ſed non quid ego fecerim, in diſquiſitionem venit, quam quid iſti pati debuerint, qui ſi non fuerunt hoſtes, (1.) nihil intereſt nunc, an vivo

(1) *Legati Syracuſanorum multa, de Hieronis Regis ſui fide erga P. R. beneficentiaque diſſeruerunt, quorum ſi aliqua apud Marcellum memoria eſſet, ab excidio Urbis eum cohibere deberet. Illis ergo reſpondet Marcellus, nihil intereſſe, vivone Hierone aut vita functo Syracuſas violaverit, æque enim indignum eſſet nomine Romano, & eum Regem violare,*

vivo Hierone Syracuſas violaverim; ſin autem deſciverunt, legatos noſtros ferro atq; armis petierunt, urbem ac mœnia clauſerunt, exercituque Carthaginienſium adversùs nos tutati ſunt: quis paſſos eſſe hoſtilia, cùm fecerint, indignatur? Tradentes urbem principes Syracuſanorum averſatus ſum: (2.) Soſin, & Mericum Hiſpanum, quibus tantam rem crederem, potiores habui. Non eſtis (3.) extremi

*olare, cujus beneficentiam expertus eſt populus Rom:, & eum populum qui, fidem conſtanter ſervaverit.*

(2) *Soſis erat faber ærarius Syracuſis, unus ex conjuratis, qui Hieronimum Syracuſanorum Tyrannum, interfecerunt. Mericus, erat natione Hiſpanus Præfectus Achradinæ (ita vocabutur Syracuſarum pars) qui Regionem eam cui præerat, Marcello tradidit, ſeque ei cum ſuo præſidio adjunxit*

(3) *Vos qui hìc adeſtis, non poſtremo eſtis inter Syracuſanos loco, quandoquidem alios tanquam abjectos, & humiles deſpicitis.*



tremi Syracuſanorum, quippe qui aliis humilitatem objiciatis. Quis eſt veſtrûm, qui ſe mihi portas aperturum, qui armatos milites meos in urbem accepturum promiſerit? Odiſtis, & execramini eos qui fecerunt: & ne hìc quidem contumeliis in eos dicendis parcitis: tantum abeſt, ut & ipſi tale quicquam facturi fueritis. Ipſa humilitas eorum, Patres conſcripti, quam iſti objiciunt, maximo argumento eſt, me neminem, qui navatam operam Reipublicæ noſtræ velit, averſatum eſſe. Et antequam obſiderem Syracuſas, nunc legatis mittendis, nunc ad colloquium eundo, tentavi pacem: & poſteaquam neque legatos violandi verecundia erat, nec mihi ipſi congreſſo ad portas cum principibus reſponſum dabatur: multis terra mariq; exhauſtis laboribus, tandem vi atque armis Syracuſas cepi. Quæ captis acciderint, apud Annibalem & Carthaginienſes, victosq; juſtius

ſtius quam apud victoris populi Romani ſenatum quererentur. Ego Patres conſcripti Syracuſas ſpoliatas ſi negaturus eſſem, nunquam ſpoliis earum, Urbem Romam exornarem, quæ autem ſingulis victor aut ademi, aut dedi, cum belli jure, tum ex cujuſq; merito ſatis ſcio me feciſſe. Ea vos rata habeatis Patres conſcripti, nec ne, magis Reip. intereſt, quàm mea. Mea quippe fides exſoluta eſt: ad Remp. pertinet, ne acta mea reſcindendo, alios in poſterum ſegniores duces faciatis. Et quoniam coram, & Siculorum, & mea verba audiſtis Patres conſcripti, ſimul templo excedemus, ut me abſente liberius conſuli Senatus poſſit.

# ORATIO

P. Scipionis ad Milites ex *lib*: 28. *Cap*: 27. *Liv*.

## ARGUMENTUM.

*Sucrone, ad præſidium octo millia Militum relicta erant: ii nimia primum licentia ex diutino otio collecta, deinde audita morte incertis auctoribus Scipionis Imperatoris, ſeditionem movent. Ac primum, Tribunos cum viderent non modo in ſententiam ſuam non deſcendere velle, ſed iis quæ conabantur obviam ire, ex Caſtris fugant. Tum ad Principes ſeditionis gregarios Milites C. Albium Calenum & C. Atrium Umbrum, communi conſenſu Imperii ſummam deferunt, qui Tribunitiis ornamentis non contenti; ſummi etiam Magiſtratûs inſignia, faſces, & ſecures aſſumunt. Non ita multo poſt nuntii certi, vivere Scipionem & valere adferunt, quæ res ita omnium animos diſcruciabat, ut jam Imperatores ipſi ſua inſignia exhorrerent, Vulgus tantum jactaret id factum eſſe, quod non ad diem ipſum ſtipendia data & impenſa eſſent. Carthaginem deinde interjectis aliquot diebus ſeditioſi omnes ingreſſi, poſtero die vocati ad concionem a Scipione, hac oratione re-*

*prehensi sunt ; duces & auctores capitali supplicio damnati.*

NUnquam mihi defuturam orationem, qua exercitum meum alloquerer credidi non quo verba unquam potius quàm res exercuerim, sed quia propè à pueritia in castris habitus, assueveram militaribus ingeniis; ad vos quemadmodum loquar, nec consilium, nec oratio suppeditat: quos nec quo nomine quidem appellare debeam, scio: cives? qui à patria vestra descivistis, an milites? qui imperium auspiciumque abnuistis, sacramenti religionem rupistis. Hostes? corpora, ora, vestitum, habitum civium agnosco: facta, dicta, consilia, animos hostium video. Quid enim vos, nisi quod (1.) Jllergetes & Lacetani

(1) *Jllergetes populi Hispaniæ, maximam complectebantur partem Arragoniæ Orientalis, inter Jberum & Pyræneos. Lacetani Occidentalem Cataloniam occupabant, qui concitati ab Jndibili & Mandonio à populo Rom: defecerant.*



cetani, aut optastis aliud aut sperastis? & illi (2) Mandonium, atq; Indibilem, regiæ nobilitatis viros, duces furoris secuti sunt: vos auspicium & imperium ad (3.) Umbrum Atrium, & Calenum Albium detulistis. Negate vos id omnes fecisse, aut factum voluisse milites, paucorum eum furorem atque amentiam esse, libenter credam negantibus. nec enim ea sunt commissa, quæ (4) vulgata in omnem exercitum sine piaculis ingentibus expiari possint. Invitus ea, tanquam vulnera attingo: sed nisi tacta, tractataque sanari non possunt. Equidem pulsis Hispania Carthaginiensibus, nullum locum



(2.) *Mandonius Jllergetum, Jndibilis Lacetanorum Regulus.*

(3) *Atrium scilicet ex Umbria, Albium, Calibûs, in Campania natum, gregarios milites.*

(4) *Quæ si communia essent toti exercitui.*

locum in tota provincia, nullos homines credebam esse, ubi vita invisa esset mea, sic me non solùm adversus socios gesseram, sed etiam adversus hostes. In castris meis ( en quantum me opinio sefellit ) fama mortis meæ non accepta solùm, sed etiam exspectata est; non quòd ego ( 5.) vulgari facinus per omnes velim ( equidem si totum exercitum meum mortem mihi optasse crederem, hic statim antè oculos vestros morerer: nec me vita juvaret inuisa civibus & militibus meis ) sed multitudo omnis, sicut natura maris per se immobilis est, venti & auræ cient, ita aut tranquillum, aut procellæ in vobis sunt: & causa atque origo omnis furoris penes auctores est, vos contagione insanistis. Quin mihi ne hodie quidem scire videmini, quò amentiæ progressi sitis: quid facinoris in me, quid in patriam, parentesque

(5) *Nolim tantum crimen in omnes spargi, eoque omnes esse contactos.*



ac liberos vestros, quid in deos Sacramenti testes, quid adversus auspicia, sub quibus militastis, quid adversus morem militiæ disciplinamque majorum, quid adversus summi imperij maiestatem ausi sitis. De me ipso taceo. temerè potius, quàm avidè crdideritis: is denique ego sim, cujus imperij tædere exercitum, minimè mirandum sit. patria quid de vobis meruerat, quam cum Mandonio & Indibili consociando consilia prodebatis? quid populus Romanus? cùm imperium ablatum ab tribunis suffragio populi creatis, ad homines privatos detulistis? cum, eo ipso non contenti, si pro tribunis illos haberetis, fasces imperatoris vestri ad eos, quibus servus, cui imperarent, nunquam fuerat: Romanus exercitus detulistis. Jn prætorio tetenderunt Albius & Atrius: classicum apud eos cecinit: signum ab iis petitum est. sederunt in tribunali proconsulis Scipionis: lictor apparuit: ( 6. ) sub



(6) *Submoto incedere Magistratum, ve-*

ſubmoto inceſſerunt: faſces & ſecures prælatæ ſunt. Lapides pluere, & (7.) fulmina jaci de cœlo, inſuetos fœtus animalia edere, vos portenta eſſe putatis? hoc eſt portentum, quod nullis hoſtiis, nullis ſupplicationibus ſine ſanguine eorum, qui tantum facinus auſi ſunt, expiari poſſit. Atque ego, (quanquam nullum ſcelus rationem habet:) tamen ut in re nefaria, quæ mens, quod conſilium veſtrum fuerit, ſcire velim. (8.) Rhegium quon-

*teres dicebant, cum hi per turbam à lictoribus præeuntibus ſubmotam irent.*

(7) *Non in eo portentum vertitur quod fulmina de cælo cadant, ſed quod Sacra Sanctaque loca, fulmine tangantur.*

(8) *Jn R. Neapoleos, Urbs Capitalis Calabriæ ulterioris, eò miſſa erat Legio Romana, Tribuno Militum Decio Jubellio Duce, ut præſidio eſſet Rheginis, adverſus Pyrrhum, & Carthaginenſes, qui poſtquam initio eam ſtrenue defendiſſent, tandem cupiditate potiundæ tam opulentæ Urbis illecti, in Jncolas impetum fecerunt, par-*



quondam in præſidium miſſa legio, interfectis per ſcelus principibus civitatis, urbem opulentam per decem annos tenuit; propter quod facinus tota legio, millia hominum quatuor, in foro Romæ ſucuri percuſſi ſunt. Sed illi primùm non Atrium Umbrum ſemilixam nominis etiam (9.) abominandi ducem, ſed Decium Iubellium tribunum militum ſecuti ſunt: nec cum Pyrrho, nec Samnitibus aut Lucanis, hoſtibus populi Rom. ſe conjunxerant, vos cum Mandonio & Indibili conſilia communicaſtis, & arma conſociaturi fuiſtis. Illi, ſicut (10.) Campani Capuam Tuſcis veteribus cul-



*partemque ferro abſumpſerunt, partem Urbe ejecerunt.*

(9) *Alludit ad nomen Atrii, quaſi ab atro derivatum. Atrum enim pro funeſto dicitur, ut atri dies, atra cupreſſus.*

(10) *Jmo Samnites, Vulturnum Urbem quam Capuam appellarunt, ut Livius lib: 4. Cap: 37. Tuſcorum nomine intelligit Jncolas priores, qui Etruſci origine.*

cultoribus ademptam, (11.) Mamertini in Sicilia Messanen, sic Rhegium habituri perpetuam sedem erant: nec populum Romanum, nec socios populi Romani ultro lacessituri bello. (12.) Sucronemne vos domicilium habituri eratis? ubi si vos decedens confecta provincia imperator relinquerem, deûm hominumque fidem implorare debebatis, quod non rediretis ad conjuges liberosque vestros. Sed horum quoque memoriam, sicut patriæ meique (13.) ejeceritis ex animis vestris. Viam consilij, scelerati, sed

(11) *Narrat Polyb: lib: 1. Campanos (qui ex Samnitibus orti) cum sub Agathocle mererent, Messanæ pulchritudine captos, eam Urbem specie amicitiæ ingressos, cæsis magnam partem Incolis, occupasse.*

(12) *Nomen est & fluminis & Oppidi, paulo supra fluvii ostia positi, Nunc Cullerra dicitur, inter Valentiam & Gandiam.*

(13) *Quasi: esto ejeceritis ex animis vestris, memoriam Patriæ, meique.*



sed non ad ultimum dementis (14.) exequi volo. Mene vino, & cætero incolumi exercitu, cum quo ego die una (15.) Carthaginem cepi, cum quo (16.) quatuor imperatores, quatuor exercitus Carthaginiensium fudi, fugavi, Hispania expuli, vos octo millia homi-



(14) *Lubet examinare & mente atque oratione prosequi rationem pessimi incæpti.*

(15) *Duæ fuerê Urbes in Hispania Carthaginis nomine à Pœnis conditæ, altera vetus in finibus Ilercaonum, ubi nunc Mequinenca, vel ut alii censent Cantaveja, qui duo sunt vici non adeo inter se dissiti, in Aragoniæ & Cataloniæ confinio. Altera portu nobilis ab Asdrubale condita in Contestanorum finibus. Hæc erat prima Carthaginensium in Hispania sedes, hodie Carthagena vocatur, in Regno Murciæ, hanc ergo se cepisse gloriatur Scipio.*

(16) *Asdrubalem & Magonem Annibalis fratres, Asdrubalem alium Gisgonis filium, & Hannonem, qui Asdrubali profecto in Italiam successerat.*

hominum, (17.) minoris certè omnes pretii, quàm Albius & Atrius sunt, quibus vos subjecistis, Hispaniam provinciam populo Rom, erepturi eratis? Amolior & amoveo nomen meum, nihil ultra facile creditam mortem meam à vobis violatus sim. Quid? si ego morerer, mecum exspiratura Respublica, mecum casurum imperium populi Romani erat? nec istuc Iupiter Optimus Maximus sierit, urbem auspicatò diis auctoribus in æternum conditam fragili, huic & mortali corpori (18.) æqualem esse. (19.) Flaminio, Paulo Gracccho, Postu-

(17) *Hic illa octo hominum millia seditiosorum deprimere vult Scipio, ut ostendat nullius eos momenti esse, si cum universis copiis comparentur. Deinde eis ingeniosè exprobrat, quod se sc indignis subjecerint.*

(18) *Æquè caducam & mecum interituram*

(19) *Hi omnes Jmperatores bello secundo Carthaginensi in acie occubuerunt, Flaminius ad Trasimenum Lacum, Paulus*



Postumio Albino, M. Marcello, T. Quintio Crispino, Cn. Fuluio, Scipionibus meis, tot tam claris imperatoribus uno bello absumptis superstes est populus Romanus, eritque mille aliis nunc ferro nunc morbo morientibus: meo unius funere elata populi Romani esset Respublica? Vos ipsi hic in Hispania (20.) patre & patruo meo, duobus, imperatoribus interfectis, Septimum Martium ducem vobis adversus exultantes recenti victoria Pœnos delegistis. & sic loquor, tanquam sine duce Hispaniæ futuræ fuerint.



*ad Cannas, Gracchus in Lucanis, à quodam Flavio Lucano, Magoni Annibalis Duci traditus, Postumius Albinus, in Gallia à Gallis in sylva (quam Litanam Galli vocant,) M. Marcellus in Apulia, T. Quintius Crispinus ibidem, vulnere accepto paulo post moritur, C. Fulvius Pro Cousul ad Herdoniam Urbem Apuliæ, Publius & Cn: Scipiones in Hispania.*

(20) *P. Cornelio Scipione Patre, Cn: Scipione Patruo.*

M. Syllanus eodem jure, eodem imperio mecum in provinciam missus, L. Scipio frater meus, & C. Lælius legati, vindices majestatis imperij deessent? Utrum exercitus exercitui, an duces ducibus, an dignitas, an causa comparari poterat? quibus si omnibus superiores essetis, arma cum Pœnis contra patriam, contra cives vestros ferretis? Africam Italiæ, Carthaginem urbi Romæ imperare velletis? quam ob noxam patriæ? Coriolanum quondam damnatio injusta, miserum & indignum exilium, ut iret ad oppugnandam patriam, impulit: revocavit tamen à publico parricidio (21.) privata pietas. vos qui dolor, quæ ira incitavit? stipendiumne diebus paucis imperatore ægro serius numearatum, satis digna causa fuit, cur patriæ indiceretis bellum? cur ad Jllergetes descisceretis à populo Romano? cur nihil

(21) *Charitas nempe in Matrem, Uxorem, & liberos.*



hil divinarum humanarum ve rerum inviolatum vobis esset? Jnsanistis profecto milites: nec major in corpus meum vis morbi, quàm in vestras mentes invasit. Horret animus referre, quid crediderint homines, quid speraverint, quid optaverint. Auferat omnia irrata oblivio si potest: si non, utcunque silentium tegat. Non negaverim, tristem atrocemque vobis visam orationem. quanto creditis facta vestra atrociora esse, quàm dicta mea? & me ea quæ fecistis, pati æquum censetis: vos ne dici quidem omnia æquo animo ferretis? Sed ne ea quidem ipsa ultra exprobrabuntur, utinam tam facilè vos obliviscamini eorum, quam ego obliviscar. Itaque quod ad vos universos attinet, si erroris pœnitet, satis superque pœnarum habeo. Albius Calenus, & Atrius Umber, & cæteri nefariæ seditionis auctores sanguine luent quod admiserunt, vobis supplicij eorum spectaculum non modo

modò non acerbum, ſed lætum etiam, ſi ſana mens redijt, debet eſſe: de nullis enim, quàm de vobis infeſtius, aut iniquius conſuluerunt.

# ORATIO

Q. Fabii Maximi, qua Scipioni Africam Provinciam decerni diſſuadet. *ex lib: 28. Cap: 39. Liv:*

## ARGUMENTUM.

*Cum in Senatu de Provinciis referretur, communis omnium fama erat, Africam novam Provinciam, etiam extra ſortem P. Scipioni deſtinatam eſſe. Ac Scipio ipſe, jam Conſulem ſe declaratum non ad gerendum modo, ſed ad perficiendum quoque bellum jactabat, cum Q. Fabius Maximus rogatus ſententiam, in hac verba Scipioni decernendam non eſſe Africam ſuadere cœpit.*

SCio, multis veſtrûm videri Patres conſcripti, rem actam hodierno die agi, & fruſtra habiturum orationem qui tanquam de integra re, de Africa provincia ſententiam dixerit. Ego autem primùm illud ignoro, quemadmodum jam certa provincia Africa conſulis viri fortis ac ſtrenui ſit, quam nec ſenatus cenſuit in hunc annum provinciam eſſe, nec populus juſſit. deinde, ſi eſt, conſulem peccare arbitror, qui de re tranſacta ſimulando ſe referre, ſenatum ludibrio habet: non ſenatorem modo, qui de quo conſulitur, ſuo loco dicit ſententiam. Atq; ego certum habeo, diſſentienti mihi ab iſta feſtinatione in Africam trajiciendi, duarum rerum ſubeundam opinionem eſſe. vnius, inſitæ ingenio meo cunctationis: quam metum pigritiamque homines adoleſcentes ſanè appellent, dum ne pœniteat: adhuc aliorum ſpecioſiora primo adſpectu conſilia ſemper viſa, mea uſu meliora. alterius obtrectationis atque inuidiæ, adverſus creſcentem indies gloriam fortiſſimi conſulis.

ſulis. A qua ſuſpicione, ſi me neque vita acta & mores mei, neque dictatura cum quinque conſulatibus, tantumque gloriæ belli domique partæ vindicat, ut propius (1.) faſtidium eius ſim, quàm deſiderium: ætas ſaltem liberat. Quæ enim mihi æmulatio cum eo eſſe poteſt, qui ne filio quidem meo æqualis ſit? Me Dictatorem, cùm vigerem adhuc viribus, & in curſu maximarum rerum eſſem, recuſantem nemo aut in ſenatu, aut ad populum audivit, quo minus inſectanti me (2.) magiſtro equitum, quod fando nunquam antè audi-

(1) *Ut magis ego faſtidiam, quam deſiderem gloriam. Et certe ſenectus, ab ea opinione me abſolvere deberet.*

(2) *Q. Minutio, cui nimia in Fabio cunctatio non placebat, quapropter auctoribus Tribunis apud populum effecit, ut nova lege imperinm ejus cum Jmperio Dictatoris æquaretur, ſed mox ab Annibale circumventus, opeque Fabii M. periculo ereptus, primus hoc plebiſcitum abrogavit.*



auditum erat, imperium mecum æquaretur. Rebus quàm verbis aſſequi malui, ut qui aliorum judicio mihi comparatus erat, ſua mox confeſſione me ſibi præferret: nedum ego perfunctus honoribus certamina mihi atque æmulationes, cum adoleſcente florentiſſimo proponam. videlicet ut mihi jam vivendo, non ſolùm rebus gerendis feſſo, ſi huic negata fuerit, Africa provincia decernatur. cum ea gloria quæ parta eſt, vivendum atque moriendum eſt. Vincere ego prohibui Annibalem, ut à vobis, quorum vigent nunc vires, etiam vinci poſſet. Illud te mihi ignoſcere P. Corneli æquum erit, ſi cum in me ipſo numquam pluris famam hominum quàm Rempubl: fecerim: ne tuam quidem gloriam bono publico præponam. quamquam ſi aut bellum nullum in Italia, aut is hoſtis aſſet, ex quo victo nihil gloriæ quæreretur: qui te in Italia retineret, & ſi id bono publico faceret, ſimul cum bello

bello materiam gloriæ tuæ ire ereptum videri posset. Cùm verò Annibal hostis incolumi exercitu XIV. annum Italiam obsideat, pœnitebit te P. Corneli gloriæ tuæ, si hostem eum, qui tot funerum, tot cladium nobis causa fuit, tu consul Italia expuleris? & sicut penes C Luctatium prioris Punici perpetrati belli titulus fuit, ita penes te huius fuerit? nisi aut (3.) Amilcar Annibali dux est præferendus, aut illud bellum huic, aut victoria illa major clariorque, quam hæc (modo contingat ut te consule vincamus) futura est. Ab (4.) Drepano atque Eryce

(3) *Amilcar Annibalis pater à Lutatio victus, per datas ab hoc pacis leges, præsidium Punicum Eryce deduxerat. Præfertur Patri Annibal, ut Scipio, si hunc vincat, major Lutatio videatur.*

(4) *Urbes Siciliæ. Sensus est, vis ergo pellere Pœnos potiùs Sicilia quam Jtalia, & eadem ratione pacē nobis parare, quemadmodum Lutatius Consul, victo in Sicilia Amilcare.*



ce detraxisse Amilcarem, quàm Italia expulisse Pœnos atque Annibalem malis? (5.) Ne tu quidem, & si magis partam quàm speratam gloriam amplecteris: Hispania potius quam Italia bello liberata gloriatus fueris. Nondum is est Annibal, quem non magis timuisse videatur, quàm contempsisse qui aliud bellum maluerit. Quin igitur ad hoc accingeris? nec per istos circuitus, ut cùm in Africam trajeceris, secuturum te illuc Annibalem speres, potius quàm recto hinc itinere, ubi Annibal est, eo bellum intendis? Egregiam istam palmam belli Punici patrati petis? Hoc natura prius est, tua cùm defenderis, aliena ire oppugnatum. Pax antè in Italia, quàm bellum in Africa sit: & nobis prius decedat timor, quam ultro aliis inferatur. Si utrumque tuo ductu auspicioque fieri potest: Annibale hic victo, illic Cartha-

(5) *Quam vereor, ne potius glorieris Hispania, quam Jtalia bello liberata.*

thaginem expugna, si alterutra victoria novis consulibus relinquenda est: prior cùm major clariorque, tum causa etiam insequentis fuerit. Nam nunc quidem præterquam quod & in Italia & in Africa duos diversos exercitus alere ærarium non potest, præterquam quòd unde classes tueamur, unde commeatibus præbendis sufficiamus, nihil reliqui est, periculi tandem, quantum adeatur, quem fallit? P. Licinius in Italia, P. Scipio bellum in Africa geret. Quid? si (quod omnes dii omen avertant, & dicere etiam reformidat animus, sed quæ acciderunt, accidere possunt) victor Annibal ire ad urbem pergat: tum demum te consulem ex Africa, sicut (6.) Q. Fulvium à Capua, accersemus? Quid? quòd in Africa quoque Mars communis

(6) *Annibale Romam pergere meditante, per S. C. Q. Fulvius Pro Consul à Capua, quam tum obsidebat, ad defendendam Romam vocatus erat.*



nis belli erit? Domus tibi tua, pater patruusque intra triginta dies cum exercitibus cæsi documento sint, ubi per aliquot annos maximis rebus terra mariq; gerendis, amplissimum nomen apud exteras gentes populi Ramani vestræq; familiæ fecerant. Dies me deficiat, si reges, imperatoresq; temerè in hostium terras transgressos cum maximis cladibus suis exercitiuumque suorum, enumerare velim. Athenienses, prudentissima civitas, bello domi relicto, auctore æquè impigro ac nobili (7.) Juvene, magna classe in Siciliam transmissa, una pugna navali florentem Rempublicam suam in perpetuum afflixerunt. Externa & nimis antiqua

(7) *Alcibiade nimirum; qui tamen bellum ipsum in Sicilia non gessit, etsi ejus auctor fuerat. Verum id per Demosthenem & Niciam gestum, qui in ea expeditione cum exercitu Atheniensium periêre, à Gylippo Lacedemonio victi.*

tiqua repeto. Africa eadem ista, & * M. Attilius insigne utriusque fortunæ exemplum, nobis documento sint. Ne tibi P. Corneli, cùm ex alto Africam conspexeris, ludus & jocus, fuisse Hispaniæ tuæ videbuntur. Quid enim simile? Pacato mari præter oram Italiæ, Glliæque vectus (8.) Emporias in urbem sociorum classem appulisti: expositos milites per tutissima omnia ad socios & amicos populi Romani, Tarraconem deduxisti, (9.) ab Tarracone deinde iter per præsidia Romana: circa (10.) Iberum exercitus patris patruiq; tui, post amissos imperatores ferociores & calamitate ipsa: dux tumultuarius quidem ille (11.) L. Ma-

(8) *Urbs Græciæ, Colonia Massiliensium.*
(9.) *Urbs Maritima Hispaniæ, in Catalonia.*
(10) *Fluvius Hispaniæ.*
(11) *Cæsis in acie P. & Cn: Scipionibus, milites L. Marcio Imperium detulerunt.*
* *Altilius Regulus prius victor, a Xantippo Sparthano victus, captusque, à Carthaginensibus, apud eos tandem misere periit.*



Martius, & militari suffragio ad tempus lectus; cæterùm si nobilitas ac justi honores adornarent, claris imperatoribus qualibet arte belli par: oppugnata per (12) summum otium Carthago, nullo trium Punicorum exercituum socios defendente. Cætera, neque ea elevo, nullo tamen modo Africo bello comparanda; ubi non portus ullus classi nostræ apertus, non ager pacatus, non civitas socia, non rex amicus, non consistendi usquam locus, non procedendi. quacumque circumspexeris, hostilia omnia atque infesta. An (13.) Syphaci Numidisque credis? satis sit (14.) semel creditum, non semper temeritas est felix: & fraus fidem in parvis sibi præstruit, ut cum operæ pretium sit, cum mercede magna

(12) *Id est nemine hostium prohibente.*
(13) *Syphax erat Rex Numidiæ occidentalis, qui suam amicitiam Romanis offerebat.*
(14) *Vide inferius, num: 22.*

gna fallat. Non hoſtes patrem patruumque tuum armis prius, quam (15.) Celtiberi ſocii fraude, circumvenerunt, nec tibi ipſi à Magone & Aſdrubale hoſtium ducibus, quantum ab (16.) Indibili & Mandonio in fidem acceptis, periculi fuit. Numidis tu credere potes, defectionem militum tuorum expertus? Et (17.) Syphax & Maſiniſſa, ſe, quàm Carthaginienſes, malunt potentiſſimos in Africa eſſe: Carthaginienſes, quàm quemquam alium

(15) *Populi Hiſpaniæ ad Jberum, qui primo à Pænis ad Romanos defecerunt, mox magna mercede ab Aſdrubale Duce Pænorum ſibi oblata, à P. Scipione (cumquo caſtra ſua conjunxerant) retracti, eundem deſeruerunt, qui tanto auxilio, (erant enim fere triginta millia) deſtitutus, facile ab eodem Aſdrubale victus, in acie cecidit.*

(16) *Jndibilis Lacetanorum, Mandonius Jllergetum erant Reguli qui, à Scipione defecerant.*

(17) *Reges Numidiæ.*



um. Nunc illos æmulatio inter ſeſe, & omnes cauſæ certaminum acuunt, quia procul externus metus eſt. Oſtende illis Romana arma, & exercitum alienigenam: jam velut ad commune reſtingvendum incendium concurrent. Aliter iidem illi Carthaginienſes Hiſpaniam defenderunt; aliter mœnia patriæ, templa deûm, aras & focos defendent: cum euntes in prœlium pavida ptoſequetur conjunx, & parvi liberi occurſabunt. Quid porrò? ſi ſatis confiſi Carthaginienſes conſenſu Africæ, fide ſociorum regum, mœnibus ſuis, cùm tuo exercitusque tui præſidio nudatam Italiam viderint: ipſi ultro novum exercitum in Italiam aut ex Africa miſerint, aut Magonem, quem à (18.) Balearibus claſſe transmiſſa jam præter oram (19.) Ligurum Alpi-

(18) *Duæ Jnſulæ Maris Mediterranei, Majorica & Minorica.*

(19) *Populi, qui partim trans, partim circa Alpes incolunt.*

Alpinorum vectari constat, Annibali se conjungere jusserint? nempe in eodem terrore erimus, in quo nuper fuimus, cùm Asdrubal in Italiam transcendit: quem tu, qui non solnm Carthaginem, sed omnem Africam exercitu tuo es clausurus, è manibus tuis in Italiam emisisti. Victum à te, dices: eo quidem minus vellem & id tua, non Reipublicæ solùm causa, iter datum victo in Italiam esse. Patere nos omnia quæ prospera tibi ac Reipublicæ in imperio evenêre, tuo consilio assignare: adversa casibus incertis belli & fortunæ delegare Quò melior fortiorque es, eò magis talem præsidem sibi patria atque universa Italia retinet. Non potes ne ipse quidem dissimulare, ubi Annibal sit, ibi caput atque arcam hujus belli esse. quippe qui præ te feras, eam tibi causam trajiciendi in Africam esse, ut Annibalem eó trahas. Sive igitur hic, sive illic, cum Annibale est tibi futura res, utrum



trum ergo tandem firmior eris in Africa solus, an hic (20.) tuo collegæque exercitu coniuncto? ne (21.) Claudius quidem & Livius *Coss.* tam recenti exemplo, quantum id intersit, documento sunt? Quid? Annibalem, utrum tandem extremus angulus agri Brutii frustra jam diu poscentem ab domo auxilia, an propinqua Carthago, & tota socia Africa potentiorem armis virisque faciet? Quod istud consilium est, ibi malle decernere, ubi tuæ dimidio minores copiæ sint, hostium multo majores: quàm ubi duobus exercitibus adversus unum tot prœliis & tam diuturna & gravi militia fessum, pugnandum sit? Quàm compar consilium tuum parentis tui consilio sit, reputa. Ille consul profectus



(20) *P. L. Crasso.*

(21) *C. Claudius Nero, & M. Livius juncti, Asdrubalem cum exercitu Punico internetione paulo ante ad Metaurum Umbriæ fluvium deleto, occiderant.*

fectus in Hispaniam, ut Annibali ab Alpibus descendenti occurreret, in Italiam ex provincia rediit: tu, cùm Annibal in Italia sit, relinquere Italiam paras. Non quia Reipublicæ id utile, sed quia tibi amplum & gloriosum censes esse, sicut cum (22.) provincia & exercitu relicto, sine lege, sine Senatusconsulto, duabus navibus, populi Romani imperator, fortunam publicam & Majestatem imperii, quæ tum in tuo capite periclitabantur, commisisti. Ego P. Cornalium P. C. Reipublicæ nobisque, non sibi privatim creatum consulem existimo: exercitusque ad custodiam urbis atque Italiæ scriptos esse, non quos regio more per superbiam consules, quo terrarum velint, trajiciant.



(22) *Tunc scilicet, cum Scipio ad Syphacem Regem Numidiæ, duabus quinque remibus in Africam traiecit, ut amicitiam cum Syphace iniret, quod tametsi prospere evenit, tamen res summi periculi fuit, se homini barbaro credere.*



# ORATIO

## P. Cornelii Scipionis, Orationi præcedenti Q. Fabii respondens.

ET ipse Q. Fabius principio orationis P. C. commemoravit, in sententia sua posse obtrectationem suspectam esse. Cujus ego rei non tam ipse ausim tantum virum insimulare, quàm quod ea suspicio, vitio orationis an rei, haud sanè purgata est. Sic enim honores suos & famam rerum gestarum extulit verbis ad extingvendum inuidiæ crimen, tanquam mihi ab infimo quoque periculum sit, ne mecum æmuletur: & non ab eo qui, quia super cæteros excellat, quò me quoque niti non dissimulo. me sibi æquari nolit, sic senem se perfunctum honoribns, & me infra ætatem filii sui posuit, tanquam non longius quàm quantum vitæ humanæ spatium est, cupiditas gloriæ extendatur: maximaque pars ejus in

memoriam ac posteritatem (1.) promineat. Maximo cuique id accidere animo certum habeo, ut se non cum præsentibus modo, sed cum omnis ævi claris viris comparet. Equidem haud dissimulo, me tuas Q. Fabi laudes non assequi solùm velle, sed, (bona venia tua dexerim) si possim, etiam exsuperare. Jllud nec tibi in me, neu mihi in minores natu animi sit, ut nolimus quemquam nostri similem evadere civem. Jd enim non eorum modò quibus inviderimus, sed Reipublicæ, & penè omnis generis humani detrimentum sit. Commemoravit quantum essem periculi aditurus, si in Africam trajicerem: ut meam quoq; non solùm Reipublicæ & exercitus vicem videretur solicitus. Vnde hæc repentè de me cura exorta? cùm pater patruusq; meus interfecti, cum duo exercitus eorum propè occidione occisi

(1) *Spectet, ac protendatur ad futura sæcula.*



cisi essent: cùm amissæ Hispaniæ, cùm quatuor exercitus Pœnorum (2.) quatuorq; duces omnia metu armisq; tenerent: cùm quæsitus ad id bellum imperator nemo se ostenderet, præter me; nemo profiteri nomen ausus esset: cùm mihi quatuor & viginti annos nato, detulisset imperium populus Romanus: quid ita tum nemo ætatem meam, uim hostium, difficultatem belli, patris patruique recentem cladem commemorabat? Utrum major aliqua nunc in Africa calamitas accepta est, quàm tunc in Hispania erat? an majores nunc sunt exercitus in Africa, duces plures melioresque, quàm tunc in Hispania fuerunt? an ætas mea tunc maturior bello gerendo fuit, quàm nunc est? an cùm Carthaginiensi hoste in Hispania, quàm in Africa bellum geri aptius est? Facile est post fusos



(2) *Asdrubal, & Mago, Annibalis fratres. Asdrubal Gisgonis filius, & Hanno.*

ſos fugatoſque quatuor exercitus Punicos, poſt tot urbes vi captas, aut metu ſubactas in ditionem, poſt perdomita omnia uſq; ad Oceanum, tot regulos, tot ſævas gentes, poſt receptam totam Hiſpaniam, ita ut veſtigium nullum belli reliquum ſit, elevare meas res geſtas: tam Hercule quàm ſi victor ex Africa redierim, ea ipſa elevare, quæ nunc retinendi mei cauſa, ut terribilia eadem videantur, verbis extolluntur. Negat aditum eſſe in Africam, negat ullos patêre portus: M. Attilium captum in Africa commemorat, tamquam M. Attilius primo acceſſu ad Africam offenderit: neq; recordatur, illi ipſi tam infelici imperatori patuiſſe tamen portus Africæ, & res egregias primo anno geſſiſſe: & quantum ad Carthaginienſes duces attinet, invictum ad ultimum permanſiſſe. Nihil igitur me iſto exemplo terrueris: ſi hoc bello, non priore: ſi nuper, non an-



annis ante quadraginta iſta clades accepta foret: qui ego minus in Africam Regulo capto, quàm Scipionibus occiſis in Hiſpaniam, trajicerem. Nec felicius (3.) Xantippum Lacedæmonium Carthagini, quàm me patriæ meæ ſinerem natum eſſe: creſceretq; mihi ex eo ipſo fiducia, quod poſſit in hominis unius virtute tantum momenti eſſe. At etiam Athenienſes audiendi ſunt, temerè in Siciliam omiſſo domi bello transgreſſi. Cur ergo, quoniam Græcas fabulas narrare vacat, non Agathoclem potius Syracuſanum regem, cùm diu Sicilia Punico bello ureretur, tranſgreſſum in hanc eandem Africam, avertiſſe eò bellum, (4.) unde



(3) *Ducem à Sparthanis miſſum ad Carthaginenſes, qui ejus auſpiciis M. Attilium vicerunt.*

(4) *Bellum averterat, non in Siciliam unde venerat Agathocles, ſed in Africam, unde bellum venerat.*

de venerat, refers ? (5.) Sed quid ultro metum inferre hoſti, & ab ſe remoto periculo alium in diſcrimen adducere, quale ſit veteribus externiſq; exemplis admonere opus eſt ? Majus præſentiusve ullum exemplum eſſe quàm Annibal poteſt ? multum intereſt : alienos populêre fines, an tuos uri exſcindiq; videas. Plus animi eſt inferenti periculum, quàm propulſanti. Ad hoc major ignotarum rerum eſt terror. Bona malaq; hoſtium expropinquo ingreſſus fines, aſpicias. Non ſperaverat Annibal fore, ut tot in Italia populi ad ſe deficerent, quot defecerunt poſt Cannenſem cladem : quanto minus quidquam in Africa Carthaginienſibus fir-

mum

(5) *Sed quid opus eſt probare exemplis priſcorum temporum, rerumque externarum, quam utile ſit, inferre ultro timorem hoſtibus, & periculo à nobis amoto, illos adducere in diſcrimen domi ſuæ, poteſtne majus, aut certius exemplum ejus rei afferri, quam ipſe Annibal?*



mum ac ſtabile eſt, (6.) infidis ſociis, gravibus ac ſuperbis dominis ? Ad hæc nos etiam deſerti ab ſociis viribus noſtris, milite Romano ſtetimus. Carthagine nihil (7.) civilis roboris eſt . mercede paratos milites habent, Afros Numidaſque . leviſſima fidei mutandæ ingenia. Hic modo nihil moræ ſit, unà & trajeciſſe me audietis, & ardere bello Africam & (8.) molientem hinc Annibalem, & obſideri Carthaginem. Lætiores . & frequentiores ex Africa exſpectate nuntios, quàm ex Hiſpania accipiebatis. Has mihi ſpes ſubjicit fortuna populi Romani, dii fœderis ab hoſte violati teſtes, Syphax & Maſiniſſa reges : quorum ego

I 5 fidei

(6) *Qui Carthaginenſes, tum ſocii, infidi ſunt externis, tum domini intolerabiles ſuis, ac ſubjectis.*

(7) *Carthaginenſis populus, nullas habet proprias vires ex Civibus ſuis, qui militent.*

(8) *Diſcedentem ex Italia.*

fidei ita innitar, ut bene tutus à perfidia sim. Multa quæ nunc intervallo non apparent , bellum aperiet. & id est viri & ducis , non deesse fortunæ præbenti se , & ( 9. ) oblata casu flectere ad consilium. Habebo Q. Fabi , parem quem das Annibalem : sed illum potius ego ttaham , quam ille me ritineat. In sua terra cogam pugnare eum : & Carthago potius præmium victoriæ erit , quàm semiruta ( 10. ) Brutiorum castella. Ne quid interim dum trajicio , dum expono exercitum in Africa , dum castra ad Carthaginem promoveo , Respubl. hic detrimenti capiat , quod tu Q. Fabi , cum victor tota Italia volitaret Annibal , potuisti præstare : hoc vide ne contumeliosum sit concus-

(9) *Et ea etiam quæ videntur casu oblata , ad suam utilitatem trahere.*

(10) *Populi Italiæ , in magna Græcia , in parte Australi R. Neap: ubi olim Oenotria & Ausonia , nunc Calabria.*



cusso jam ; & penè fracto Annibale negare , posse P. Licinium consulem virum fortissimum præstare , qui ne à sacris absit pontifex maximus , ideo in sortem tam longinquæ provinciæ non venit. Si hercule nihilo maturius hoc , quo ego censeo modo , perficeretur bellum : tamen ad dignitatem populi Romani , famamque apud reges gentesque externas pertinebat , non ad defendendam modo Italiam , sed ad inferenda etiam Africæ arma , videri nobis animum esse : nec hoc credi vulgarique , quod Annibal ausus sit , neminem ducem Romanorum audere : & priore Punico bello , tum cùm de Sicilia certaretur , toties Africam nostris exercitibus & classibus opgugnatam : nunc cum de Italia certatur , Africam pacatam esse. Requiescat aliquando diu vexata Italia , uratur , populeturque invicem Africa. Castra Romana potius Carthaginis portis immineant ,

 quàm

quàm nos iterum (11.) vallum hostium ex mœnibus nostris videamus. Africa sit reliqui belli sedes: illuc terror fugaque, populatio agrorum, defectio sociorum, cæteræ belli clades, quæ in nos per quatuordecim annos ingruerunt vertentur. Quæ ad Rempublicam pertinent, & bellum quod instat, & provincias de quibus agitur, dixisse satis est. Illa longa oratio nec ad vos pertinens sit: si quemadmodum Q. Fabius meas res gestas in Hispania elevavit, sic & ego contra gloriam ejus eludere, & meam verbis extollere velim. Neutrum faciam P. C. & si nulla alia re, modestia certè & temperando linguæ, adolescens senem vicero. Ita & vixi, & res gessi, ut tacitus ea opinione, quam vestra sponte conceptam animis haberetis, facilè contentus essem.

ORA-

(11) *Quam nos iterum Annibalem Romam venientem videamus.*



# ORATIO

Annibalis ad P. Scipionem de pace. *ex lib: 30. cap: 30. Liv:*

## ARGUMENTUM.

*Digressus ex Italia Annibal, cum Africam repetens, Zamam, quæ quinque tantum dierum iter Carthagine abest, pervenisset, præmisit exploratores, qui cognoscerent quonam in statu illic res Romanorum essent. Speculatores à custodibus in castra deducti, omisso metu, visere omnia & contemplari jussi. Regressi cum læta omnia, non secus quam in certa victoria, nuntiarent, tum demum de pace Annibal cogitare cæpit: ac per suos Scipioni accito ad colloquium, conditiones pacis ferendas esse ita suasit.*

SI hoc ita fato datum erat, ut qui primus bellum intuli populo Romano, quique toties prope in manibus victoriam habui, is ultro ad

pa-

pacem petendam venissem: lætor te mihi potissimùm datum, à quo peterem. Tibi quoq; inter multa egregia non in ultimis laudum hoc fuerit, Annibalem, cui de tot Romanis ducib. victoriam dii dedissent, tibi cessisse, teq; huic bello vestris prius quam nostris cladibus insigi finem imposuisse. Hoc quoq; ludibrium fortunæ casus ediderit, ut cum patre tuo consule ceperim arma, cum eodem (1.) primum Romano imperatore signa contulerim, ad filium ejus inermis ad pacem petendam veniam. Optimum quidem fuerat, eam patrib. nostris mentem datam ab diis esse, ut & vos Italiæ, & nos Africæ imperio contenti essemus. Neque enim ne vobis quidem Sicilia atq; Sardinia satis digna pretia sunt pro tot classibus, tot exercitibus, tot

(1) *Prima pugna fuit Annibalis ad Tycinum Amnem cum P. C. Scipione patre P. Scipionis cognomento Africani.*



tot tamq; egregiis amissis ducibus. Sed præterita magis reprehendi possunt, quàm corrigi. Ita aliena appetivimus, ut de nostris dimicaremus. Nec in Italia solum vobis bellum, nobis in Africa esset: sed & vos in portis vestris propè, ac mœnibus signa armaq; hostium vidistis: & nos ab Carthagine fremitum castrorum Romanorum exaudivimus. Quod igitur nos maximè abominaremur, vos ante omnia optaretis, in meliore vestra fortuna de pace agitur: agimusque ii, quorum & maximè interest pacem esse, & qui quodcumq; egerimus, ratum civitates nostræ habituræ sint. Animo tantum nobis opus est non abhorrente à quietis consiliis. Quod ad me attinet, jam ætas senem in patriam revertentem, unde puer profectus sum, jam secundæ, jam adversæ res ita erudierunt, ut rationem sequi quàm fortunam malim. Tuam (2.) & adolescentiam,

(2) *Adolescentia & perpetua felicitas ma-*

am, & perpetuam felicitatem, ferociora utraque, quàm quietis opus est consiliis, metuo. Non temere incerta casuum reputat, quem fortuna nunquam decepit. Quod ego fui ad Thrasymenum, ad Cannas, id tu hodie es. Vix dum militari ætate imperio accepto, omnia audacissimè incipientem nusquam fefellit fortuna. (3.) Patris & patrui persecutus mortem, ab calamitate vestræ domus, decus insigne virtutis pietatisque eximiæ cæpisti: amissas Hispanias recuperasti, quatuor inde Punicis exercitibus pulsis. Consul creatus, cum cæteris ad tutandam Italiam parum animi esset, transgressus in Africam, duobus hic exercitibus cæsis, binis eadem hora captis simul incensisq; castris, (4.) Syphace potentissimo

*xime inimica est paci.*

(3) *P. C. Scipionis patris, & Cn: Scipionis patrui.*

(4) *Syphax, Rex Numidiæ, cum P. C. Scipione fœdus icit, sed consilio Asdrubalis, cujus filiam Uxorem habebat, adversus Massinissam Regem itidem Numidiæ socium Populi R. bellum suscepit, qui junctis cum Scipione castris Syphacem vicit, cepit, & in castra R. remisit.*



simo rege capto, tot urbibus regni ejus, tot nostri imperii ereptis, me sextumdecimum jam annum hærentem in possessione Italiæ detraxisti. Potest victoriam malle, quàm pacem animus. Novi vobis spiritus magnos magis, quàm utiles, & mihi talis aliquando fortuna affulsit. Quod si in secundis rebus bonam quoque mentem darent dii, non ea solum quæ evenissent, sed etiam ea, quæ evenire possent, reputaremus. Ut omnium obliviscaris aliorum, satis ego documenti in omnes casus sum. Quem modò castris inter Anienem atque urbem vestram positis, ac jam propè scandentem mœnia Romana videras, hic cernis duobus fortissimis viris (5.) fratribus clarissimis imperato-

(5) *Asdrubale, & Magone.*

ratoribus orbatum ante mœnia propè obſeſſæ patriæ, quibus terrui veſtram urbem, (6.) ea pro mea deprecantem. Maximæ cuiq; fortunæ minímè credendum eſt. In bonis tuis rebus, noſtris dubiis, tibi ampla ac ſpecioſa danti eſt pax: nobis petentib. magis neceſſaria, quàm honeſta. Melior tutiorq; eſt certa pax, quam ſperata victoria. Hæc in tua, illa in deorum manu eſt. Ne tot annorum felicitatem in unius horæ dederis diſcrimen. Cùm tuas vires, tum vim fortunæ, Martemq; belli communem propone animo. Utrimq; ferrum, corpora humana erunt. Nuſquam minus quàm in bello eventus reſpondent. Non tantum ad id quod data pace jam habere potes, ſi prœlio vincas, gloriæ adjeceris: quantum ademeris, ſi quid adverſi eveniat. Simul parta ac ſperata decora unius

(6) *Me deprecantem ea mala, quæ veſtræ Civitati per me antea impenderunt.*



nius horæ fortuna evertere poteſt. (7.) Omnia in pace jungenda tuæ poteſtatis ſunt P. Corneli, tunc ea habenda fortuna erit, quam dii dederint. Inter pauca felicitatis virtutiſq; exempla M. Attilius quondam in hac eadem terra fuiſſet, ſi victor pacem petentibus dediſſet patribus noſtris: ſed non ſtatuendo tandem felicitati modum, nec cohibendo efferentem ſe fortunam, quanto altius elatus erat, eo fœdius corruit. Eſt quidem ejus, qui dat, non qui petit, conditiones dicere pacis. Sed forſitan non (8.) indigni ſimus, qui nobiſmetipſis mulctam irrogemus. Non recuſamus, quin omnia propter quæ bellum initum eſt, veſtra ſint, Sicilia, Sardinia, Hiſpania; quidquid in-

(7) *Cum agitur de ineunda pace, cuncta in tuo ſunt arbitrio.*

(8) *Non adeo contemnendæ ſunt res Panorum, inquit Annibal, ut non aliquatenus digni videamur, qui pacem obtineamus ſaltem nos ipſos mulctando.*

inſularum toto inter Africam Italiamque continetur mari. Carthaginienſes incluſi Africæ littoribus, vos (quando ita diis placuit,) externa etiam terra marique videamus regentes imperia. Haud negaverim, propter non nimis ſyncerè petitam aut exſpectatam nuper pacem, ſuſpectam eſſe vobis Punicam fidem. multum per quos petita ſit, ad fidem tuendæ pacis pertinet Scipio. Veſtri quoque (ut audio) patres non nihil etiam ob hæc, quia parum dignitatis in legatione erat, negaverunt pacem. Annibal peto pacem: qui neque peterem niſi utilem crederem: & propter eandem utilitatem tuebor eam, propter quam petii. Et (9.) quemadmodum, quia à me bellum cœptum eſt, ne quem ejus pœniteret, quo-

(9) *Effeci ne Carthaginenſium ullus haberet, quod quereretur de bello à me inchoato, donec dii ipſi incæptis & fortunæ meæ invidere cœperunt.*


que ad ipſi invidêre dei, præſtiti: ita annitar, ne quem pacis per me partæ pœniteat.

# ORATIO

## Scipionis ad Annibalem ex *lib*: 30. *cap*: 31. *Liv*:

NOn me fallebat Annibal, advëntus tui ſpe Carthaginienſes & præſentem induciarum fidem, & ſpem pacis turbaſſe. neque tu id ſanè diſſimulas, qui de (1.) conditionibus ſupe-

(1) *Carthaginenſes priusquam Annibal in Africam trajeciſſet, de pace ad Scipionem triginta Seniores miſerunt, quibus ille has leges pacis propoſuit:* Captivos & perfugas & fugitivos reſtituant: exercitus ex Jtalia & Gallia deducant: Hiſpania abſtineant: Jnſulis omnibus quæ inter Jtaliam & Africam ſunt diſcedant, naves longas præter ivginti omnes tradant, tritici quingenta, hordei trecenta millia modûm, pecuniæ quinque millia talen-

ſuperioribus pacis omnia ſubtrahas, præter ea quæ jam pridem in noſtra poteſtate ſunt. Cæterum ſicut tibi curæ eſt, ſentire cives tuos, quanto per te onere leventur: ſic mihi laborandum eſt, ne quæ tunc pepigerunt, hodie ſubtracta ex conditionibus pacis, præmia perfidiæ habeant. Indigni quibus eadem pateat conditio, ut etiam proſit vobis fraus petitis. Neque ( 2. ) patres noſtri priores de Sicilia, neque nos de Hiſpania fecimus bellum. Et tunc Mamertinorum ſociorum periculum, & nunc Sa-

lentûm. *Harum conditionum nullam in ſua Oratione mentionem fecit Annibal.*

(2) *Dicit Scipio penes illos & primi & ſecundi belli Punici non penes Romanos cauſam eſſe. Primi, quod Mamertinos qui fœdus cum P. R. inerant, adverſus Hieronem Regem Syracuſanorum ad ſe pertrahere volebant, ut ſuo non Romanorum auxilio uterentur, ſecundi, quod Saguntum Urbem ſociam populi R. deleverant.*



Sagunti excidium nobis pia ac juſta induerunt arma. Vos laceſſiſſe, & tu ipſe fateris, & dii teſtes ſunt: qui & illius belli exitum ſecundùm jus faſq; dederunt, & hujus dant & dabunt. Quod ad me attinet, & humanæ infirmitatis memini, & vim furtunæ reputo, & omnia quæcumque agimus, ſubjecta eſſe mille caſibus ſcio. Cæterùm quemadmodum ſuperbè, & violenter me faterer facere, ſi priuſquam in Africam trajeciſſem, te tua voluntate cedentem Italia & impoſito in naves exercitu ipſum venientem ad pacem petendam aſpernarer: ſic nunc, cùm propè manu conſerta reſtitantem ac tergiverſantem in Africam traduxerim, nulla ſum tibi ( 3. ) verecundia obſtrictus.

(3) *Hoc loco verecundia, ſumitur pro quadam reverentiæ ſpecie, quemadmodum Brutus apud Ciceronem: Nihil exiſtimatio Civium valet, nihil poſteritatis verecundia.*

ctus. (4.) Proinde si quid ad ea, in quæ tum pax conventura videbatur (quæ sunt nosti) mulctæ navium cum commeatu per inducias expugnatarum, legatorumq; violatorum, adjicitur, est quod referam ad concilium. Sin illa quoque gravia videntur, bellum parate, quoniam pacem pati non potuistis.

ORA-

(4) *Proinde si quid mulctæ adjicitur, ob expugnatas naves Rom; cum comeatibus, durantibûs induciis, ob violatos Legatos M. Bebium L. Sergium. L. Fabium (hos misit Carthaginem Scipio de ruptis induciis conquerens, sed parum abfuit quin violarentur ab multitudine:) est quod referam ad consilium Senatûs.*



# ORATIO

Annibalis ad Carthaginenses, qui eum reprehenderant, quod risisset in communi fletu, *ex lib: 30 cap: 44.*

## ARGUMENTUM.

*Inter alias pacis conditiones Carthaginensibus petentibus pacem à Scipione, auctoritate Senatûs datas, id etiam propositum erat, ut in Annos quinquaginta, decem millia talentûm argenti, pensionibus æquis solverent. Prima collatio pecuniæ longo bello exhaustis difficilis videbatur: itaque cum ob eam ipsam, cæteris in Curia Carthaginensi mærentibus atque flentibus, unus Annibal rideret, tum Asdrubal Hædus, ridentem in publico fletu atque luctu increpavit, cum præsertim earum lacrymarum ipse caùssa esset. Cui Annibal in hanc sententiam respondit*

SI quemadmodum oris habitus cernitur oculis, sic & animus

mus intus cerni posset, facilè vobis appareret, non læti, sed propè amentis malis cordis hunc, quem increpatis, risum esse. Qui tamen nequaquam adeò est intempestivus, quàm vestræ istæ absurdæ atque (1.) abhorrentes lacrymæ sunt. Tunc flesse decuit, cùm adempta nobis arma, incensæ naves, interdictum externis bellis. Illo enim vulnere concidimus. Nec esse in vos odio (2.) vestro consultum ab Romanis credatis. Nulla magna civitas diu quiescere potest. si foris hostem non habet, domi invenit. Ut prævalida corpora ab externis causis tuta videntur, sed suis ipsa viribus onerantur. Tantum nimirum ex publicis malis sentimus, quantum ad privatas res pertinet: nec in eis quicquam acrius, quàm pecuniæ damnum stimulat. Itaq;

(1) *Abhorrentes à ratione.*

(2) *Malim quod suspicatur Glar: odio vestri, ut sit: nec putate Romanos contra vos ita statuisse odio vestri.*



taq; cum (3.) spolia victæ Carthagini detrahebantur, cum inermem jam ac nudam destitui inter tot armatas gentes Africæ cerneretis, nemo ingemuit. Nunc quia tributum ex privato conferendum est, tanquam in publico funere comploratis. Quàm vereor, ne propediem sentiatis levissimo in malo vos hodie lacrymasse.

# ORATIO

M. Catonis Consulis pro lege Oppia contra mulierum luxum *ex lib:* 34. *cap:* 2. *Liv:*

*M. Oppius & T. Romulejus tribuni plebis, inter procellas belli punici Q. Fabio, & T. Sempronio Consulibus legem tulerant, ne qua mulier plus semuncia auri haberet, neu juncto vehiculo in Urbe oppidove, aut propius inde mille passus, nisi Sacrorum publicorum causa veheretur. Ea lex ab altero latore Oppia*



(3) *Vide fol:* 212

*pia dicta. Matronæ nobiles omnes homines ad legis abrogationem sollicitabant: nec jam ulla auctoritate, verecundia, imperiove primorum patrum, à limine Senatus contineri atque arceri poterant. Nunc ad forum frequentes conveniebant, nunc per vias Urbis discurrebant, orantes viros, ut in tam secunda fortuna sibi ornatus, adversis rebus negatus atque ademptus redderetur. Lex ipsa præter tribunos pl: duos, M. quoque Porcium Catonem Consulem, defensorem habebat, cæteri fere impugnabant. Js itaque Porcius Cato matronarum conciliabula, tota urbe, totis diebus frequentia, præter morem fieri cernens, cum quid ita convenirent, intellexisset, advocata concione, ita pro lege adversus luxum mulierum disseruit. L. Valerius Tribunus pl: is qui tulerat de lege abroganda, post Catonem, ut sequitur pro mulieribus, adversus legem Catoni respondit.*

SI in sua quisq; nostrúm matrefamilias Quirites, jus & majestatem



tem viri retinere instituisset, minus cum universis fæminis negotii haberemus. Nunc domi victa libertas nostra impotentia muliebri, hic quoq; in foro obteritur & calcatur: & quia singulas sustinere non potuimus, universas horremus. Equidem fabulam & fictam rem ducebam esse, virorum omne genus in aliqua ( 1. ) insula conjuratione muliebri à stirpe sublatum esse. Ab nullo genere non æquè summum periculum est, si cœtus & concilia, & secretas consultationes esse sinas. Atq; ego vix statuere apud animum meum possum, utrum pejor ipsa res, an ( 2. ) pejore exemplo agatur; quorum alterum ad nos *Coss.* reliquosq; magistratus, alterum ad vos Quirites magis pertinet. Nam utrum è Republica sit, nec



(1) *In Lemno Jnsula maris Ægei, ubi cæteris in mares sævientibus, sola Hypsipyle patrem Thoantem servasse memoratur.*

(2) *An potius malo more.*

nec ne , id quoq ad vos fertur (3.) vestra existimatio est , qui in suffragium ituri estis. Hæc (4.) consternatio muliebris , sive sua sponte , sive auctoribus vobis M. Fundani & L. Valeri facta est, haud dubiè ad culpam magistratuum pertinens , nescio vobis tribuni , an *Coss.* magis sit deformis. Vobis , si fæminas ad concitandas tribunitias seditiones jam adduxistis : nobis , si ut plebis quondam , sic nunc mulierum secessione leges accipiendæ sunt. Equidem non sine rubore quodam paulò antè per medium agmen mulierum in forum perveni. Quod nisi me (5.) verecundia singularum magis majestatis & pudoris , quam universarum tenuisset , ne compellatæ à consule viderentur, dixissem: Qui hic mos est in publicum procurrendi & obsidendi vias,& viros

(3) *Vestrum est judicare.*
(4) *Hic fæminarum tumultus.*
(5) *Aliquarum scilicet respectus , quæ cæteris clariores ætate , natalibus &c.*



viros alienos appellandi ? Jstud ipsum suos quæq; domi rogare non potuistis ? An blandiores in publico quàm in privato , & alienis quàm vestris estis ? quanquam ne domi quidem vos , si sui juris finibus matronas contineret pudor , quæ leges hic rogarentur abrogarenturve curare decuit. Majores nostri nullam ne privatam quidem rem agere fæminas sine (6.) auctore voluerunt : in manu esse parentum , fratrum , virorum. Nos (si diis placet) jam etiam Rempub. capessere eas patimur , & foro quoque , & concionibus & comitiis immisceri. Quid enim nunc aliud per vi-



(6) *Id est : sine tutore. Erant enim olim Romanæ mulieres in perpetua tutela , ut nec contrahere possent nisi tutore auctore ; cum essent vel in potestate patrum , vel in tutela fratrum , quamdiu innuptæ manebant. Nubentes autem conventione in manum , transirent in familiam , & potestatem , maritorum quibus loco filiarum erant.*

vias & compita faciunt, quàm quòd aliæ rogationes tribunorum plebis suadent, aliæ legem abrogandam censent? (7.) Date frenos impotenti naturæ, & indomito animali, & sperate ipsas modum licentiæ facturas, nisi vos faciatis. Minimum hoc eorum est, quæ iniquo animo feminæ sibi aut moribus aut legibus injuncta patiuntur. Omnium rerum libertatem, imò licentiam, si vera dicere volumus, desiderant. Quid enim si hoc (8. expugnaverint, non tentabunt? Recensete omnia muliebria jura, quibus licentiam earum alligaverint majores nostri, per quæq; subjecerint viris: quibus omnibus constrictas vix tamen continere potestis. Quid si carpere singula & extorquere, & exæquari ad extremum viris patiemini, tolerabiles vobis eas fore creditis? extemplò simul pares esse

(7) *Laxate frenos.*
(8) *Extorserint.*



esse cœperint, superiores erunt. At Hercule ne quid novum in eas rogetur, recusant? non jus, sed injuriam deprecantur. Imò ut quàm accepistis, jussistis suffragiis vestris legem, quam usu tot annorum & experiendo comprobastis, hanc ut abrogetis: id est, ut unam tollendo legem, cæteras infirmetís. Nulla lex satis commoda omnibus est: id modo quæritur, (9.) si majori parti, & in summam prodest, si quod cuiquam privatim officiet jus, id destruet ac demolietur; quid attinebit universos rogare leges, quas mox abrogare, in quos latæ sunt, possint? Volo tamen audire quid sit, propter quod matronæ consternatæ procurrant, in publicum: ac vix foro se & concione abstineant. Ut (10.) captivi ab Annibale redimantur, parentes, viri, libri, fratres



(9) *Hunc finem legum statuit Aristoteles, ut majori parti & in summam prosit.*
(10) *Vide sup: fol: 212.*

tres earum ? Procul abest, absitque semper talis fortuna Reipubl. sed tamen cùm fuit, negastis hoc piis precibus earum. At non pietas, nec solicitudo pro suis, sed religio congregavit eas. ( 11. ) matrem Idæam Pessinunte ex Phrygia venientem accepturæ sunt. Quid honestum dictu saltem seditioni prætenditur muliebri ? ut auro & purpura fulgeamus, inquiunt ; ut carpentis festis profestisq; diebus velut triumphantes de lege victa & abrogata, & captis & ereptis suffragiis vestris per urbem vectemur : ne ullus modus sumptibus nec luxuriæ sit. Sæpè me querentem de fæminarum, sæpè de virorum, nec de privatorum modo sed etiam magistratuum sumptibus audistis, diversisq; duobus vitiis, avaritia & luxuria civita-

(11) *Cybelen, cujus simulacrum vel potius saxum ab Urbe Phrygiæ Pessinunte, non procul Ida monte posita, translatum fuit, & solemniter olim à Matronis exceptum.*



civitatem laborare, quæ pestes omnia magna imperia everterunt. Hæc ego quo melior lætiorq; indies fortuna Reipublicæ est, quo magis imperium crescit : & jam in Græciam Asiamq; transcendimus, omnibus libidinum illecebris repletas, & regias etiam attrectamus gazas : eo plus horreo, ne illæ magis res nos ceperint, quam nos illas. Infesta, mihi credite, signa ab ( 12. ) Syracusis, illata sunt huic urbi. Iam nimis multos audio ( 13. ) Corinthi & Athenarum ornamenta laudantes, mirantesq;, & ( 14. ) antefixa fictilia



(12) *Vult Cato victos esse Romanos, & debilitatam eorum masculam virtutem, illecebris voluptatum invectis Romam à populis quos ipsi devicerant, quique luxuriæ dediti deliciis diffluebant, inter quos vel primi habebantur Syracusani.*

(13) *Urbs Peloponesi in Achaja.*

(14) *Antefixa unico vocabulo dicuntur apud Festum, quæ ex opere figlino tectis affi-*

lia deorum Romanorum ridentes. Ego hos malo propitios deos, & ita ſpero futuros, ſi in ſuis manere ſedibus patiemur. Patrum noſtrorum memoria per legatum Cyneam Pyrrhus non virorum modo, ſed etiam mulierum animos donis tentavit. Nondum lex Oppia ad coercendam luxuriam muliebrem lata erat, tamen nulla accepit. Quam cauſam fuiſſe cenſetis? Eadem fuit, quæ majoribus noſtris, nihil de hac re lege ſanciendi. nulla erat luxuria quæ coerceretur. Sicut ante morbos neceſſe eſt cognitos eſſe, quàm remedia eorum: ſic cupiditates prius natæ ſunt quàm leges, quæ iis modum facerent. Quid legem (15.) Liciniam exci-

*affiguntur ſub ſtillicidio. Hic ſimulacra ſignificantur ex argilla, qualia apud priſcos Romanos in templis fixa colebantur.*

(15) *A C. Licinio Stolone Tribuno plebis, lata eſt hæc lex de modo agrorum, ne quis plus quam quingenta jugera agri poſſideret.*



excitavit de quingentis jugeribus, niſi ingens cupido agros continuandi? quid legem (16.) Cinciam de donis & muneribus, niſi quia vectigalis jam & ſtipendiaria plebs eſſe ſenatui cœperat? Itaq; minimè mirum eſt, nec Oppiam, nec aliam ullam tum legem deſideratam eſſe, quæ modum ſumptibus mulierum faceret, tùm aurum & purpuram, data & oblata ultro non accipiebant. Si nunc cum illis donis Cineas urbem circumiret, ſtantes in publico inveniſſet quæ acciperent. Atq; ego nonnullarum cupiditatum ne cauſam quidem aut rationem inire poſſum. Nam ut quod alii liceat, tibi non licere, ali-

(16) *Lata eſt lex Cincia M. Claudio Cethego, P. Sempronio Tuditano Conſſ: à M. Cincio Alimento Tribuno plebis. Ea lege cavebatur ne cui liceret ob cauſam orandam munus accipere. Cautum etiam erat, ne plus ducentis aureis donare liceret, extra quam, ſi conjunctis perſonis donaretur.*

aliquid fortaſſe naturalis aut pudoris, aut indignationis habeat: ſic æquato omnium cultu, quid unaquæq; veſtrûm veretur, ne in ſe conſpiciatur? Peſſimus quidem pudor eſt vel parſimoniæ, vel paupertatis: ſed utrumque lex vobis demit, cùm id quod habere non licet non habetis. Hanc, inquit, ipſam exæquationem non fero, illa locuples. Cur non inſignis auro & purpura conſpicior? cur paupertas aliarum ſub hac legis ſpecie latet? ut quod habere non poſſunt, habituræ ſi liceret, fuiſſe videantur? Vultis hoc certamen uxoribus veſtris injicere Quirites, ut divites id habere velint, quod nulla alia poſſit? pauperes, ne ob hoc ipſum contemnantur, ſupra vires ſe extendant? Næ ſimul pudere, quod non oportet cœperit: quod oportet, non pudebit. Quæ de ſuo poterit, parabit: quæ non poterit, virum rogabit. Miſerum illum virum, & qui



qui exoratus & qui non exoratus erit, cùm quod ipſe non dederit, datum ab alio videbit. Nunc vulgo alienos viros rogant, & quod majus eſt, legem & ſuffragia rogant: & à quibuſdam impetrant, adverſus te & rem tuam & liberos tuos inexorabiles. Simul lex modum ſumptibus uxoris tuæ facere deſierit, tu numquam facies. Nolite eodem loco exiſtimare Quirites futuram rem, quo fuit, antequam lex de hoc ferretur. Et hominem improbum non accuſari tutius eſt, quàm abſolvi: & luxuria non mota tolerabilior eſſet, quàm erit nunc, ipſis vinculis, ſicut fera beſtia, irritata, deinde emiſſa. Ego nullo modo abrogandam legem Oppiam cenſeo. Vos quod faxitis, deos omnes fortunare velim.

ORA-

# ORATIO

## L. Valerii Tribuni pl: pro mulieribus contra legem Oppiam *ex lib: 34. cap: 5. Liv:*

SI privati tantum ad ſuadendum diſſuadendumq; id quod à nobis rogatur, proceſſiſſent, ego quoq; cùm ſatis dictum pro utraq; parte exiſtimarem, tacitus ſuffragia veſtra exſpectaſſem. Nunc cùm vir graviſſimus *Cos.* M. Porcius non auctoritate ſolùm que tacita ſatis momenti habuiſſet, ſed oratione etiam longa & accurata, inſectatus ſit rogationem noſtram, neceſſe eſt paucis respondere: qui tamen plura verba in caſtigandis matronis, quàm in rogatione noſtra diſſuadenda conſumpſit: & quidem ut in dubio poneret, utrum id quod reprehenderet, matronæ ſua ſponte, an nobis auctoribus feciſſent. Rem defendam, non nos; in quos

iecit



iecit magis hæc *Cos.* verbo tenus, quàm ut re inſimularet. Cœtum & ſeditiones, & interdum ſeceſſionem muliebrem appellavit, quod matronæ in publico vos rogaſſent, ut legem in ſe latam per bellum temporibus duris, in pace & florente ac beata Rep. abrogaretis. Verba magna, quæ rei augendæ cauſa conquirantur, & hæc & alia eſſe ſcio: & M. Catonem oratorem non ſolum gravem, ſed interdum etiam trucem eſſe ſcimus omnes, cùm ingenio ſit mitis. Nam quid tandem novi matronæ fecerunt, quòd frequentes in cauſa ad ſe pertinente in publicum proceſſerunt? nunquam ante hoc tempus in publico apparuerunt? tuas adverſus te (1.) Origines revolvam. Accipe quoties id

fece-

(1) *Originum libros compoſuerat M. Cato, in quibus Italicarum Urbium initia, accuratiſſimè collegiſſe dicitur à Dion: Halicar: vel quibus potiùs res geſtas populi Rom: expoſuit ut Verrius & Feſtus notant.*

fecerint, & quidem ſemper bono publico. Jam à principio regnante Romulo, cùm capitolio ab Sabinis capto, medio in foro ſignis collatis dimicaretur, nonne intercurſu matronarum inter acies duas prœlium ſedatum eſt? Quid? regibus exactis, cùm Coriolano Marcio duce, legiones Volſcorum caſtra ad quintum lapidem poſuiſſent, nonne id agmen, quo obruta hæc urbs eſſet, matronæ averterunt? Iam urbe capta à Gallis, aurum, qùo urbs redempta eſt, nempe matronæ conſenſu omnium in publicum contulerunt. (2.) Proximo bello (ne antiqua repetam) nonne & cum pecunia opus fuit, viduarum pecuniæ adjuverunt ærarium? & cùm dii quoq; novi ad opem ferendam dubiis rebus accerſerentur, matronæ uni-

(2) *Punico ſecundo, ærariô exhauſto pecuniæ pupillares, deinde viduarum collatæ, ad juvandum ærarium.*



verſæ ad mare profectæ ſunt ad (3.) matrem Idæam accipiendam. Diſſimiles, inquit, cauſæ ſunt. Nec mihi cauſas æquare propoſitum eſt. Nihil novi factum, purgare ſatis eſt. Ceterum quod in rebus ad omnes pariter viros fæminasq; pertinentibus fecisſè eas nemo miratus eſt, in cauſa proprié ad ipſas pertinente miramur feciſſe? Quid autem fecerunt? ſuperbas medius fidius aures habemus, ſi cùm domini ſervorum non faſtidiant preces, nos rogari ab honeſtis fæminis indignamur. Venio nunc ad id de

(3) *Cum deduceretur Cybele ex Phrygia, matronæ omnes ei ad Oſtiam proceſſerê, cumque ex oraculo Delphico didiciſſent* quærendum virum optimum in Civitate eſſe, qui eam hoſpitio exciperet *P. Cornelius Naſica Adoleſcens (qui optimus in civitate judicatus) cum matronis ire juſſus, isque eam de nave accipere, & in terram delatam tradere ferendam matronis, quibûs ita peractis, Dea in æde Victoriæ collocata erat.*

de quo agitur, in quo duplex consulis oratio fuit. Nam & legem ullam omnino abrogari est indignatus: & eam præcipuè legem, quæ luxuriæ muliebris coercendæ causa lata esset: Et illa communis pro legibus visa consularis oratio est, & hæc adversus luxuriam severissimis moribus conveniebat. Itaq; periculum est, nisi; quid in utraq; vani sit, docuerimus, ne quis error vobis offundatur. Ego enim, quemadmodum ex his legibus, quæ non in tempus aliquod, sed perpetuæ utilitatis causa in æternum latæ sunt, nullam abrogari debere fateor, nisi quam aut usus coarguit, aut status aliquis Reipubl. inutilem fecit: sic quas tempora aliqua desiderarunt leges, mortales (ut ita dicam) & temporibus ipsis mutabiles esse video. Quæ in pace latæ sunt, plerumq; bellum abrogat; quæ in bello, pax: ut in navis administratione alia in secunda, alia in adversa



versa tempestate usui sunt. Hæc cum ita natura distincta sint, ex utro tandem genere ea lex esse videtur, quam abrogamus? (4.) an vetus regia lex, simul cum ipsa urbe nata? an (5.) (quod secundum est) à decemviris ad condenda jura creatis in xii. tabulis scripta? sine qua cum majores nostri non existimarint matronale decus servari posse: nobis quoq; verendum sit, ne cum ea pudorem sanctitatemq; fæminarum abrogemus? Quis igitur nescit, novam istam legem esse, Q. Fabio, T. Sempronio consulibus xx. annis antè latam? sine qua cùm per tot annos matronæ optimis moribus vixerint, quod tandem ne abrogata ea effundantur in luxu-

(4) *An hæc lex inquit Valerius de qua agitur; ea est, quâ olim Romulo Regi delata est suprema potestas.*

(5) *An hic agitur de lege duodecem tabularum, quæ secundum post Regiam obtinuit auctoritatis locum.*

luxuriam, periculum est? Nam si ista lex ideo lata esset, ut finiret libidinem muliebrem, verendum foret, ne abrogata incitaret. Cur sit autem lata, ipsum indicavit tempus. Annibal in Italia erat victor ad Cannas: jam Tarentum, jam Arpos, jam Capuam habebat: ad urbem Rom. admoturus exercitum videbatur: defecerant socii, non milites in supplementum, nòn socios navales ad classem tuendam, non pecuniam in ærario habebamus: servi, quibus arma darentur, ita ut pretium pro iis bello perfecto dominis solveretur, emebantur: in (6.) eandem diem pecuniæ, frumentum & cætera quæ belli

(6) *Significatur numerandam eodem tempore publicanis fuisse pecuniam ex ærario, ut & frumentum & alia ad bellum necessaria præberent. Est einim* dies pecuniæ *tempus quo solvenda est pecunia debita, ut apud Cic: lib:* 10. *ad Att: ep:* 5. *diem pecuniæ, idus novembres esse.*



li usus postulabant, præbenda publicani se conducturos professi erant. Servos ad remum, numero ex censu constituto, cum stipendio nostro dabamus: aurum & argentum omne, à senatoribus ejus rei initio orto, in publicum conferebamus: viduæ & pupilli pecunias suas in ærarium deferebant. Cautum erat, quo ne plus auri & argenti facti, quo ne plus signati argenti & æris domi haberemus. Tali tempore in luxuria & ornatu matronæ occupatæ erant, ut ad eam coercendam lex Oppia desiderata sit: cùm quia (7.) Cereris sacrifici-

(7) *Sacrum Cereris celebrabatur quotannis ad* 5. *calendas Apriles, à matronis, in candida & læta veste, quia verò in eo Sacro servabatur, ne funere contaminatæ essent, lugentibûs omnibûs matronîs post cladem ad Cannas hæc Sacra intermissa erant. Itaque ne ob eandem causam alia quoque Sacra desererentur S. C. diebus* 30. *luctus est finitus.*

ficium lugentibus omnibus matronis intermissum erat, senatus finiri luctum triginta diebus jussit. Cui non apparet, ob inopiam & miseriam civitatis, quia omnium privatorum pecuniæ in usum publicum vertendæ erant: istam legem scriptam, tamdiu mansuram, quamdiu causa scribendæ legis mansisset? Nam si quæ tunc temporis causa, aut decrevit senatus, aut populus jussit, in perpetuum servari oportet, cur pecunias reddimus privatis? cur publica præsenti pecunia locamus? cur servi, qui militent, non emuntur? cur privati non damus remiges, sicut tunc dedimus? Omnes alii ordines, omnes homines mutationem in meliorem statum Reipublicæ sentient, ad conjuges tantum nostras pacis & tranquillitatis publicæ fructus non perveniet? Purpura viri utemur, prætextati in magistratibus, in Sacerdotiis: liberi nostri prætextis purpura

togis



togis utentur; magistratibus in coloniis municipiisque, hic Romæ infimo genere magistris, (8.) vicorum, togæ prætextæ habendæ jus permittemus: nec id ut vivi solum habeant tantum insigne, sed etiam ut cum eò crementur mortui: fæminis duntaxat purpuræ usum interdicemus? & cùm tibi viro liceat purpura in veste stragula uti, matrem familias tuam, purpureum amiculum habere non sines? & equus tuus speciosius instratus erit, quàm uxor vestita? Sed in purpura, quæ teritur, absumitur, injustam quidem, sed aliquam tamen causam tenacitatis video: in auro vero, in quo præter manus pretium nihil intetri-

L men-

(8) *Per singulos Vicos creabantur e plebe cujusque viciniæ quatuor Vico-Magistri sive Magistri Vicorum, qui eorum curam gererent sub Regionum curatoribus. Hos Vico-Magistros prætextis ornatos fuisse cum ludos Compitalitios in honorem Deorum Larium facerent scribit Asconius.*

menti fit, quæ malignitas eſt? præſidium potius in eo eſt, & ad publicos & ad privatos uſus, ſicuti experti eſtis. Nullam æmulationem inter ſe ſingularum, quando nulla haberet, eſſe ajebat. At hercule univerſis dolor & indignatio eſt, cùm ſociorum Latini nominis uxoribus vident ea conceſſa ornamenta, quæ ſibi adempta ſint: cùm inſignes eas eſſe auro & purpura, cùm illas vehi per urbem, ſe pedibus ſequi, tanquam in illarum civitatibus, non in ſua imperium ſit. Virorum hoc animos vulnerare poſſet: quid muliercularum cenſetis, quas etiam parva movent? Non magiſtratus, nec Sacerdotia, nec triumphi: nec inſignia, nec dona aut ſpolia bellica his contingere poſſunt; munditiæ & ornatus, & cultus, hæc fœminarum inſignia ſunt: his gaudent & gloriantur, hunc mundum muliebrem appellarunt majores noſtri. Quid aliud in



in luctu, quàm purpuram atq; aurum deponunt? quid cùm eluxerunt, ſumunt? quid in gratulationibus ſupplicationibuſque, niſi excellentiorem ornatum adjiciunt? Scilicet ſi legem Oppiam abrogaveritis, non veſtri arbitrii erit, ſi quid ejus vetare volueritis, quòd nunc lex vetat. Minus filiæ, uxores, ſorores etiam quibuſdam in manu erunt. Nunquam ſalvis ſuis (9.) exuitur ſervitus muliebris. Et ipſæ libertatem, quam viduitas & orbitas facit, deteſtantur. In veſtro arbitrio ſuum ornatum, quàm in legis, malunt eſſe, & vos in manu & tutela non in ſervitio debetis habere eas: & malle patres vos aut viros, quàm dominos dici. Invidioſis nominibus utebatur modo Cos. ſeditionem muliebrem & ſeceſ-ſionem



(9) *Mulieres cum in perpetua ſuorum tutela eſſent) nunquam eximi è poteſtate poterant, niſi morte parentum vel maritorum.*

ſionem appellando. Id enim periculum eſt, ne Sacrum montem, ſicut quondam irata plebs, aut Aventinum capiant. (10.) Patiendum huic infirmitati eſt, quodcumq; vos cenſueritis, quo plus poteſtis, eo moderatius imperio uti debetis.

(10) *Jmbecillitas illarum nempe mulierum cogit eas pati quid quid viris videtur.*

# JNDEX

## Orationum hoc Libro contentarum.

ORA-



 ORA-

---